Fünfzehnter

Jahresbericht

über

das Theodorianische Gymnasium

zu

Paderborn

in dem Schuljahre 1838 — 39,

von

dem Director des Gymnasiums

Professor H. Gundolf.

Præmissa est

DISSERTATIO

DE TUTELA

quam Græcorum loca sacra et hominibus et rebus præstiterunt.

Scripsit

THEOD. TOPHOFF,

in gymnasio Paderbornensi ordinum superiorum præceptor.

Gedruckt bei J. C. Schlegel, Univ. Buchdrucker.

DE TUTELA

QUAM

GRAECORUM LOCA SACRA ET HOMINIBUS ET REBUS PRAESTITERUNT.

Scripturo mihi de tutela, quam Graecorum loca sacra et hominibus et rebus praestiterunt, quae res multis, nisi fallor, videbitur exigua ac minuta, causas, quibus adductus sim, ut hanc potissimum rem in quaestionem vocaverim, non esse praetermittendas existimo. Primum haec ipsa res, etiamsi permulti viri docti et ingenii acumine et scientiarum copia insignes in Graecorum res indagandas omne studium et tempus contulerint et haud infelici successu plerasque earum partes illustraverint, tamen relicta ac neglecta non solum, sed etiam maximis tenebris atque erroribus implicata est et etiamnunc involuta restat. At qua ratione fieri potuit, ut haec res neglecta esse videatur, quum admodum magnum esse numerum eorum, qui de asylis scripserint, neminem effugere possit? Id utique negare non possum, iam seculo decimo septimo, quo, ut asyla ob innumerabiles eorum fraudes ac noxas abrogarentur, vehementissime efflagitabatur, permultos viros doctos de asylis disseruisse [1]. Inter quos primum tenet locum Sarpi,[2] qui de asylis disserens etsi paucissima, optima tamen de Graecorum quoque asylis protulit. Et praeter eos, ut mittam Osiandrum, [3] qui de Gentilium, maxime vero de Hebraeorum asylis multa conquirendo nihil aliud fecit, nisi ut errores de Graecorum asylis iam sparsos recitaverit, quot viri docti, seu veteres scriptores interpretantes, seu Graecorum antiquitatem vel aliquam certe eius partem tractantes, nonne de eorum asylis quoque exposuerunt? Quorum ex numero maxime digni sunt, qui nominen-

[1]) Vide eorum nomina et eorum librorum titulos in Fabricii bibliotheca antiquaria. Hamb. 1760. ed. Schaffhaus. 421 — 22.

[2]) Petri Sarpi liber singularis de iure asylorum. Venet. 1678.

[3]) Vid. thesaur. Antiquit. Graec. Tom. VI. 2852.

tur, Lipsius, [4]) Ezech. Spanhemius, [5]) Samuel. Petiscus, [6]) Potter, [7]) Chishullius [8]) et Wachsmuthius [9]). Permagnum igitur numerum esse eorum, qui de Graecorum asylis disseruerint, certe eorum mentionem fecerint, etsi constat, hanc tamen rem, quam equidem indagandam proposui, neglectam esse contenderim. *). Nam illi viri docti partim Graecorum asyla obiter tantum attigerunt, velut ii fere omnes, qui illo seculo vel accusatores vel patroni asylorum exstiterunt, partim ea tantum asyla, quae quadam in urbe, ut Athenis, vel singulis in Graeciae partibus, ut in Asiae minoris ora, praetereaque eum tantum templorum seu asylorum statum, qualis fuit quadam aetate, et ea quidem praecipue, qua hoc institutum plane erat corruptum, comprehenderunt. Nemo vero invenitur, qui, quale hoc institutum prioribus Graecorum temporibus fuerit, et quomodo per diversas aetates sit immutatum, docuerit; quae via si esset inita, ipsum asylorum nomen posteriore demum aetate post Alexandrum mortuum apud Graecos receptum esse nec prius locum huic fuisse intellectum esset nec tantis Graecorum asyla implicata essent erroribus. Quantis vero Graecorum asyla non solum in tenebris, sed etiam in erroribus et nominatim eorum origo et mutatus mutatis temporibus status etiamnunc versentur, nos latere non poterit, si cognoverimus, quales illorum virorum magna pars, imprimis ii, qui illo seculo de asylis scripserunt, maxime eo huius instituti statu, qualis Tiberio regnante fuit, decepti attulerint opiniones. Omnium enim illorum virorum, qui illo seculo de asylis disserentes de Graecorum quoque

---

4) In Taciti annal. lib. III. c. 60—63. not.
5) Ezechiel Spanhemius de praestantia et usu numismatum. edit. sec. Amstel. Elsev. 1671.
6) Comment. ad leges Attic. lib. I. Tit. I. p. 78.
7) Archaeologia Graeca. III. P. Halae Saxonum 1776.
8) Antiquit. Asiaticae.
9) Hellenische Alterthümer aus dem Gesichtspunkte des Staates. 2. Th. 4. Abth. Halle 1830.
*) Utrum vero Simon sur les asyles, (Mem. de l' Acad. des Inscr. T. III.) Alex. Bachius über die Asyle (Glatzer Gymnas. Progr. Bresl. 1827) et Wallon du droit d'asyle (Paris 1837.) huic rei lucem attulerint, nec ne, non habeo, quid dicam, quum, etsi quam maximam potui operam impendi, tamen fieri non potuerit, ut illorum opera in manus meas venirent.

asylis exponere haud omiserunt, opinio haec fere fuit: Diabolum Deum summum, qui apud Iudaeos asyla constituisset, imitando apud Graecos quoque haec instituisse, quod fabulis de asylis per Cadmum Thebis et per Hercule prognatos Athenis institutis probare student; deinde certis et paucis tantum Graecorum templis asyli ius seu privilegium fuisse; postremo Graecorum asyla, praecipue si cum Iudaeorum asylis comparaveris, nebulonum et sceleratissimorum hominum receptacula neque insontium et miserorum hominum praesidia, sed impietatis detestandae speluncas atque maleficorum sentinas fuisse. Haec sunt verba, quibus Osiander, qui haud iniuria illis viris adnumeratur, Graecorum asyla accusavit. Attamen non est, quod miremur, illos viros tales opiniones de Graecorum asylis esse secutos. Nam, quum illi fere omnes eo tantum consilio de asylis scriberent, ut accusarent eorumque abrogationem suaderent, evenit, ut iis, etiamsi de Graecorum asylis mentionem fecerint, tamen ipsi huic instituto non tam lucem afferre quam Graecorum quoque asyla in partes vocare curae fuerit, et ea igitur magis verbis malis atque adeo acerbis criminationibus notaverint, quam illustraverint. Huc accedit, ut eorum scribendi ratio fere omni iudicio egeat neque ullam diversarum aetatum rationem habeat. Quisque enim librum eius, qui hac eadem de re disserens eum antecesserat, tam anxia cum cura compilavit, ut non omitteret omne verbum describere, itaque, quo plures tempore excepit, eo maiorem de asylis congessit materiam. Cuius scribendi rationis imaginem optime repraesentat Gustavus Carholm, [10]) qui, ut tempore novissimus, ita ne minimi quidem momenti quidquam eorum, quae iam de asylis erant composita, praetermisit, sed, asylis in realia et personalia et utroque eorum genere iterum in species divisis et Iudaeorum Austriacorumque, Saxonum et Graecorum, Iudaeorum iterum et Romanorum, ita omnium populorum aetatumque asylis in unum confusis, tam vastam atque indigestam materiam, paene dixerim molem, comportavit, ut profecto chaos inde ortum sit. Unde factum est, ut veterum Gentium, inprimis Graecorum asyla magnis implicata sint erroribus. Quos

---

[10]) Tractatus absolutissimus bipartitus de asylis et eorum iure. Upsalae. 1682.

quum ab aliquot tantum viris doctis, quorum merita suo cuiusque loco collaudare non praetermittam, magis sepositos, quam sublatos, ceterum etiamnunc tam late diffusos et ita dominantes videamus, ut plerique cum Petisco, quinque tantum Atheniensium templis asyli ius attribuente, nonnullis tantum Graecorum templis hoc ius fuisse opinentur et Wachsmuthium, etiam scelestis hominibus deorum templa apud Graecos patuisse ac praesidio fuisse, sine ulla temporum distinctione affirmantem sequantur; haec mihi necessaria, quo certius et facilius illi errores dimoveantur et vera cernantur, sunt visa: primum docere ex antiqua Graecorum religione tum res diis consecratas vel in eorum templis repositas aeque ac ipsum totum fanum devastare et spoliare, tum homines, qui in deorum templa seu tutelam confugissent et iis recepti essent vel ibidem viverent, quum essent sancti, violare nefas fuisse, neque hoc divinum ius, ut ita dicam, quod sola a templorum sanctitate proficiscebatur, aliquot tantum, sed omnibus templis fuisse, neque tamen hominibus impiis et scelestis loca sacrata intrare licuisse, neque, ut ii exciperentur, permissum fuisse; deinde huius instituti quasi historiam contexere seu enarrare, quam sanctum per diversas Graecorum aetates hoc ius sit habitum, vel postquam religio ex Graecorum et deinde populorum in Graecas civitates dominantium animis evanuit et pravae cupiditates in eius locum cesserunt, quam saepe et quam graviter sit violatum ac depravatum; tum demonstrare, plurimas praecipue Asiae minoris urbes ac civitates, quum iam solam per religionem nec supplices tuti nec res sacrae essent intactae, esse impulsos, ut per regum vel civitatum decreta, hominum igitur auctoritatem, templorum ius et res et supplices inviolatos retinendi, maxime vero res sacras servandi intactas, seu ius asyli, quod tum quidem temporis maxime violabatur, confirmandum et stabiliendum curarent, unde paulatim evenisse, uti ius asyli totam templorum sanctitatem, ius igitur quoque supplices tuendi complexum sit et omnia templa, maxime ea, quae summa tum inter homines religione vel potius auctoritate gauderent, etiamsi eorum ἀσυλία, ut ita dicam, non decretis, sed sola antiqua religione niteretur, nominarentur asyla; et postremo addere, hac hominum auctoritate, etsi ad templorum religionem ac sanctitatem accederet, templa

seu asyla in antiquam non esse restituta religionem, sed contra ob religionem eversam et mores corruptos totum hoc asylorum institutum licentia et asyla statuendi et sceleratissimum quemque sine ulla religionis ratione recipiendi in abusum excidisse itaque corruisse. Qua ratione si rem propositam pertractaverimus, inde iam futurum erit, ut non solum illi errores deleantur et quae in re vera sint, perspiciantur, sed etiam, qualis religio et quales mores Graecorum quavis aetate fuerint, appareat. Haec altera est causa, quae me impulit, ut hanc potissimum rem perquirendam mihi sumerem, quaeque efficit, ut haec quaestio non tam parvi atque exigui pretii sit, quam esse primo aspectu videatur.

§. I.

Antiqua Graecorum religione penitus hominum animis insita, quisque, quidquid diis consecratum erat, in suum convertere usum vetabatur. Quoniam enim hoc erat sanctum seu deorum, tangere vel adeo spoliare homines sibi nefas haberent necesse erat. Unde templa (τεμένη) devastare et ipsas aedes sacras diruere summum impietatis (ἀσεβείας) crimen notabatur [11]. Unde id quoque, ex lucis sacris vel vi vel furtim, quidpiam auferre, nefas erat. In sacramento enim, quo Apollinis Pythici Amphictyones adigebantur, hoc quoque scriptum erat: siquis quidpiam earum rerum, quae dei essent, vi abstulisset, vel hoc factum esse compertum haberet, nec vero indicaret, vel siquis in quidpiam rerum sacrarum, quae templo inessent, aliquid crudele statuisset, se manu et pede, voce et omni vi, ut in eum vindicaretur, socios fore [12]. Quin ea Athenienses religione templorum sanctitatem colebant, ut, quicunque vel minimam arborem e luco sacro auferret, eum capitis damnarent, vel siquis frondem e luco furtim raperet, eum impium haberent ac gravi poena mulctarent [13]. Velut in Corcyra insula viri quinque maxime locupletes, qui vallos e Iovis et

---

[11]) Lycurgus in Leocratem. Cf. Meier et Schömann attic. process. p. 301.

[12]) Schlosser universalis veteris historiae prospectus pars prima sect. sec. p. 212.

[13]) Potter archaeolog. Graec. I. 480.

Alcini fano exciderant, accusante Pithia quodam, damnati sunt ad singulos pro singulis vallis stateres in hoc fanum solvendos [14]). Magno praeterea huius rei documento sunt Boeotii, qui quum Athenienses octavo belli peloponnesiaci anno Delium, sanctissimum Apollinis templum in Boeotia situm, castellum fecissent, summo iis verterint crimini, quod hoc templum muro circumdedissent, aedem ipsam destruxissent, sacras vites excidissent et quaecunque ab hominibus in loco profano (βεβήλῳ) fierent, in illo fano fecissent, atque adeo aquam sacram, quam nefas esset tangere, nisi ad abluendas in sacrificium manus, in alios usus hausissent. *Πᾶσι γάρ*, adiecerunt Boeotii, *εἶναι καθεστηκὸς, ἰόντας ἐπὶ τὴν ἀλλήλων ἱερῶν τῶν ἐνόντων ἀπέχεσθαι* [15]). Tanta quum esset apud Graecos templorum sanctitas, ut non solum in sua, sed etiam in aliena vel hostili terra deorum templa violare nefas esset, factum est, ut pecuniae et publicae et privatae in templis deponerentur. Athenienses enim eas publicas pecunias, quas populus in aerario publico deponi iusserat, *ταμίαις τῶν ἱερῶν χρημάτων τῆς Ἀθηναίας* tradere, Minervae igitur credere seu quasi consecrare solebant [16]). Et Clisthenes, ille celeberrimus Atheniensis, Iunoni Samiae, quum rebus timeret suis, filiorum dotes credidit et Alexander magnus pecuniam in Cilicia apud Solos in delubro deposuisse dicitur [17]). Recte igitur Cicero l. i. c. dixit: „Sacrilego poena est neque ei soli, qui sacrum abstulerit, sed etiam ei, qui sacro commendatum, quod et nunc multis fit fanis.“ — Tantam ergo religio apud Graecos deorum templis quum attribueret sanctitatem, hoc necessario secutum est, ut homines quoque, et ii quidem, qui nec civitatis legibus nec alii hominum tutelae amplius confiderent, sed omni hominum auxilio sese destitutos viderent nec nisi apud deos quidquam sibi crederent relictum esse praesidii, in deorum templa confugerent.

---

[14]) Thucyd. III. c. 70.

[15]) Thucyd. IV. 97.

[16]) Thucyd. II. 13. Boeckh. Oecon. Athen. I. 176. Meier et Schömann l. cit. 514.

[17]) Cicero de legibus II. 16. Cf. Xenophon. hist. Graec. VI. C. 4. §. 2.

Etenim uti res diis consecratae vel commendatae per templorum sanctitatem praestabantur intactae, sic illi quoque homines, plerumque supplices nominati, ab omni hominum impetu tuti erant, nisi forte religio ac sanctissimum divinum ius violabatur. Antiquissimum huius rei documentum, quantum equidem comperi, quod non per poetarum fabulas, sed per certum rerum scriptoris monumentum exstat, incidit in illa tempora, quibus post Heraclidarum reditum multa ac crudelia Dorienses inter et Atticae incolas bella gerebantur. Nam Doriensium, qui Codro duce Atticam adorti sunt, multo maior pars, morte huius regis audita, postera nocte in fugam se dederant; aliquot vero, qui per noctem clam in urbe Athenis versati sunt, quum postero die a suis se destitutos vidisseut et ab Atheniensibus premerentur, ad deorum, quae Venerandae seu Eumenidae vocabantur, aras confugerant. Qui supplices ab Atheniensibus, qui oraculi a Iove Dodonaeo dati:

μὴ δ᾽ ἱκέτας ἀδικεῖν· ἱκέται δ᾽ ἱεροί τε καὶ ἁγνοί.

memores essent, impuniti dimissi sunt [18]). Pluribus etsi documentis id, quod proposuimus, facile comprobare possum, tamen, quum futurum sit, ut in disputationis nostrae cursu satis multa ac certa huius rei argumenta nobis occurrant, nunc hoc labore supersedere mihi liceat.

Iam igitur aliam quaestionis partem aggredior, utrum hoc divinum ius omnibus fuerit templis, an nonnullis tantum et fortasse non nisi iis, quae summa sanctitate prae aliis pollerent vel iis, quibus hoc ius esset concessum. Quam opinionem, quamvis late dispersam et a multis viris doctis assumptam videamus, nos quidem sequi vetamur. Primum enim, si ipsorum templorum naturam, ut ita dicam, respiciamus, omnibus deorum templis hoc ius, supplices tuendi et res sacras praestandi intactas fuisse existimare debemus. Nam hoc ius nulla alia ex re nisi ex sanctitate, quae quidem omnibus templis inerat, originem duxisse nec ulla alia ex re pependisse constat. Fieri autem non potuit, quin haec sanctitas templi, utpote quod

---

[18]) Paus. lib. VII. c. 25.

non hominis, sed dei cuiusdam vel deae sacra esset sedes ac regnum, simul efficeret, ut ii, qui huc se receperant numinisque tutela erant recepti, sancti seu deorum essent. Quoniam vero sancti erant, inviolati iidem essent necesse erat eodem modo, quo tribunatus sanctitas apud Romanos plebis tribunos praestabat etiam inviolatos. Deinde si certa testimonia requiramus, apud Euripidem, qui hac in re more usitato et vita ducitur, Polyxena, quum iam ad supplicium destinata esset, nec quidquam in hominibus praesidii haberet, ab Hecuba hisce verbis [19]):

Ἀλλ' ἴθι πρὸς ναοὺς, ἴθι πρὸς βωμούς.

ut ad deorum templa confugeret, impellitur? Nonne haec verba ad omnia sine ullo discrimine atque universe spectant templa? Idem alter hic eiusdem poetae locus comprobat [20]):

. . . ἔχει γὰρ καταφυγὴν, θὴρ μὲν πέτραν,
Δοῦλος δὲ βωμοὺς θεῶν.

Ut alia testimonia, quae ex Euripide afferri possint, mittam, nonne illud quoque oraculum a Iove Dodonaeo datum generatim atque universe nec ulla certi templi ratione habita praescripsit, ne supplices violarentur. Huc id accedit, quod Thucydides, si etiam aliis et gravioribus argumentis opus sit, universe dicit:

τῶν ἀκουσίων ἁμαρτημάτων καταφυγὴν εἶναι τοὺς βωμούς [21]).

et ut iam memoravimus: *ἰόντας ἐπὶ τὴν ἀλλήλων, ἱερῶν τῶν ἐνόντων ἀπέχεσθαι.* Quam ob rem, quoniam omnibus generatim atque universe aris et templis, non certis quibusdam illud ius attributum invenimus, quis est, cui res, de qua quaestio est, ullo in dubio relinquatur? Neque ergo, ut apud Hebraeos primo tempore arae in foederis tabernaculo constitutae soli et deinde, ut in remotioribus quoque terrae regionibus supplices inviolabile haberent refugium, sex certis locis hoc ius attributum erat, ita apud Graecos quoque pauca certa refugia instituta erant, sed apud hos omnibus

---

19) Hecuba v. 149.

20) *Ἱκέτιδες* v. 269.

21) IV. 97.

deorum templis hac ipsa de causa, quia sancta erant, itaque quidquid sacratis terminis exceptum erat, diis consecratum et omni hominum iuri erat exemtum, nisi forte templorum sanctitas violabatur, et supplices et res tueri fas erat. Etiam haec causa, qua Hebraei ducti sex certa loca constituerunt, quo ii qui caede haud voluntaria essent polluti contra subitam ac nimis saevam iram se recipere possent, apud Graecos nulla fuit; id quod non erat negligendum. Nam apud Graecos is, qui caede haud voluntaria (nisi fallor) pollutus fuga salutem petere erat coactus, iam inter finitimos tutus vivere poterat, dummodo iis locis, ubi commercia agerentur, vel quo certaminum vel ludorum causa universa Graecia convenire soleret, abstineret [22]. Quam ob rem ii viri docti, qui nulla temporis ratione habita Servii in verba [23]: „asylum non est in omnibus templis, nisi in iis, quibus lege concessum est," quasi iuraverint, a via recta valde aberrarunt. Attamen haec duo hominum usu esse inducta negari non potest. Primum enim sanctissima quaeque templa, ut Spartae Minervae *χαλκιοίκου* seu *πολιούχου*, Athenis vero Athenarum vel Eumenidum, supplicibus maxime placuisse et maxime inviolabilia refugia dedisse concedere debemus. Veluti Deli insulae Apollini et Dianae sacrae sanctitas tanta fuit, ut ne Datis quidem, qui in Naxo aliisque insulis deorum templa sine ulla religionis ratione diruisset, ibidem quidquam conaretur attingere, nedum violare, sed incolas, qui in proximam Tenum se receperant, ita allocutus sit: »*Ἄνδρες ἱεροὶ, τί φεύγοντες οἴχεσθε;*« [24] Deinde qui ad deos confugere coacti erant, primum quodque templum non petebant, sed potius, si fieri poterat, in ea praecipue templa, quae iam iisdem angustiis oppressis tutelam praestitissent, confugere solebant. Velut ad Thesei imprimis, quippe qui abiectorum preces admodum benigne accepisse putaretur, templum, quod post eius ossa ex Scyro insula eximia cum celebratione Athenas

---

22) Demosth. in Aristocrat. 632. §. 15—25.

23) Ad Virgil. Aeneid. II. v. 761.

24) Herod. VI. 97. Cicero in Verrem act. I. c. 19. Kreuzer Symb. II. 146. Hug de mytho celeberrimorum veterum gentium 56.

deportata prope Gymnasium erat conditum, Atheniensium servi confugere solebant, Theseum precaturi, ut alii minus crudeli domino venderentur [25]). Qua ex re nihilo magis, quam ex aliis documentis a Sam. Petisco [26]) allatis sequitur, ut quinque tantum asyla Athenis fuerint.

Quoniam igitur omnia Graecorum templa seu fana et supplicibus et rebus tutelam dedisse satis cognitum habemus; haud alienum a re, de qua quaestio est instituta, mihi esse videtur, perquirere, utrum eae quoque arae, quae intra domos erant constitutae, supplices iure ab omni impetu defenderint nec ne. Iam apud Homerum Iovis Hercei arae, quae iuxta septum (ἕρκος) in aula (ἐν αὐλῇ) erat constituta, supplices ab iniuria defendere iure concessum videmus. Quum enim Odysseus admodum saevam in procos lascivos ac prodigos sumeret vindictam, Terpiades cantor et Medon praeco domo egressi ἑζέσθην δ' ἄρα τώγε Διός (ἑρκείου) μεγάλου ποτὶ βωμόν [27]). Et Hecuba, quum Troia urbs capta et mediis in regiae domus penetralibus iam esset hostis, ad Iovis Hercei aram cum natis confugit et Priamum, ut eum grandaevum armis circumdatum et telis armatum vidit, apud Virgilium hisce dehortatur verbis: „Haec ara tuebitur omnes, aut moriere simul [28]).“ Nec amplius tamen quidquam reperire potui, ex quo Iovem Herceum etiam posteriore aetate supplicibus tutum dedisse refugium demonstrari possit. Hoc autem illo in Virgilii loco sane mentione dignum mihi esse videtur, Iovis Hercei aram non in aula stare, sed in impluvium, in domus penetralia, ubi in foco penates, seu penetrales, seu ἐφέστιοι seu μύχιοι erant, translatam fuisse. Unde haud vana sectati simus, si hanc Iovis Hercei religionem cum illo augustissimo penatum ac Vestae sacrario mediis in aedibus sito paulatim coaluisse et inde praecipue, etsi ex aliis quoque causis, illam summam Vestae religionem ortam

---

25) Plutarch. Thes. 35. Diod. Sicul. IV. c. 62. Meier et Schömann l. cit. 404 et seq. Potter l. cit. I. 138.

26) Comment. ad leg. Attic. 78—90.

27) Odyss. XXII. v. 330 et seq.

28) Aeneid. II. 506. Paus. Corinth. c. 24. §. 25. Arcad. c. c. 46. §. 2. Cf. Kreuzer Symb. II. 523.

opinamur. Quod, etsi fusius hac de re disputare meum non est consilium, ad aliquam certe veri similitudinem his rebus, quae statim proponam, adducitur. Nam inde, quod Odysseus haud agnitus, dum Eumaeo subulco persuadere studet, Odysseum profecto esse rediturum, testem, sibi nequaquam esse in animo fallere et dolos nectere, primum Iovem, alterum mensam hospitalem, tertium focum Odyssei insontis, ad quem iam propius accederet, fecit [29]), iam tum temporis focum certe principis aliqua sanctitate fuisse quidem habitum, nec vero deam, cui esset nomen Vestae, esse factam constat. Quum vero hoc in foco essent penates et inter eos, nisi omnia me fallunt, ipse Iupiter Herceus, fieri non potuit, quin ii, qui in peregrinis, nedum barbaris gentibus hospitium atque tutelam petere coacti essent, ad principis focum seu aram confugerent et penatibus, ut hospitio ac tutela exciperentur, supplicarent. Odysseus enim apud Homerum, postquam Areten, Phaeacum reginam, supplici voce obsecravit, quo certius hospitio exciperetur, *ἐπ' ἐσχάρῃ ἐν κονίῃσιν* resedit [30]). Eadem de causa Themistocles, quum ad Admetum, Molossorum regem, sibi nequaquam amicum confugere coactus eius uxori (nam ipse forte domo aberat) supplex fuisset, ad focum (*ἐπὶ τὴν ἑστίαν*) filio eius secum abrepto consedit. Admetus vero, ubi domum reversus audiit, quisnam ille ad penates sedens esset, qui et quam ob rem eum persequerentur, priorum iniuriarum plane oblitus hunc hospitio ac tutela excepit neque Atheniensibus, neque Spartanis, quamvis urgerent, prodidit. Nam, ut Thucydides verissime addidit: »*καὶ μέγιστον ἦν ἱκέτευμα τουτο*« [31]). Hanc ad aram, seu in sacrarium ad penates mediis in aedibus Heraclea, quum Hieronymo occiso totam stirpem regiam a Syracusanorum multitudine penitus exstirpatum iri intellexisset, confugit [32]). Praecipua vero religione etiam postea nonnullis in civitatibus haec ara

---

29) Odyss. XIV. 155.
30) Odyss. VII. v. 452. Cf. v. 160—69.
31) I. 136.
32) Liv. XXIV. c. 26.

publica fuit, ubi in prytaneo publici stabant penates. Quare Theramenes ille, quum summae Critiae tyrannidi repugnans nec oratione id, quod crimini erat ei datum, refutante nec senatus auctoritate se contra Critiam defendere posset, sed adeo nomen suum ex ter mille civium numero et ordine exstinctum vidisset, omni hominum tutela destitutus ad illam aram sanctissimam, quae erat Athenis in prytaneo, se recepit dicens:

»*Καὶ τοῦτο μὲν, μὰ τοὺς θεοὺς, οὐκ ἀγνοῶ, ὅτι οὐδέν μοι ἀρκέσει ὅδε ὁ βωμός, ἀλλά βούλομαι καὶ τοῦτο ἐπιδεῖξαι, ὅτι οὗτοι οὐ μόνον εἰσὶ περὶ ἀνθρώπους ἀδικώτατοι, ἀλλὰ καὶ περὶ θεοὺς ἀσεβέστατοι*« [33]).

Et quum totam per Asiam minorem omnes, quicunque Italici generis erant ex Mithridatis edicto die constituta trucidarentur, apud Caunios Itali *ἐς τὴν βουλαίαν Ἑστίαν* confugerunt [34]). Ea quoque re, quia haec ara publica omnium domorum aras quasi repraesentabat, summa religione coleretur necesse erat. Nonne etiam ex hac ara ii qui coloni mittebantur, ignem secum portare solebant, quasi matris animam, quam, ne exstingueretur, summopere fovebant? Hinc sacri perpetuique ignis servandi mos et in urbe condenda sacram aedem publicam Vestae primam constituendi usus [35]). Unde altera quoque causa accessit, qua factum est, ut summa Vesta religione coleretur. Quoniam vero Iupiter Herceus ipsis verbis penatibus in Vestae sacrario adnumeratur et postea sic Vesta, ut antiquis temporibus Iupiter Herceus, domus et deinde totius urbis custos habebatur, quis est, quin coniiciat, ex illa praecipue antiqua Iovis Hercei religione hanc Vestae sanctitatem esse ortam [36]), praesertim quum Vesta demum postea dea sit facta; id quod inde quoque verisimilius apparet, quod etiam posteriore aetate raro et aliquot tantum locis huic deae erat

---

33) Xenophon hist. Graec. II. 3. 15 — 53. Diod. Sicul. XIV. 4, 5.

34) Appian de bello Mithrid. c. XXIII.

35) Dionys. Halicarn. Ant. Rom. II. 65.

36) Jacobi Handwörterbuch der griech. und lat. Myth. sub vocibus Hestia et Penates. Kreuz. l. cit. Dionys. Halicarn. Ant. Rom. II. c. 68. §. 5.

attributum simulacrum [37]. Quae omnia hic de aris intra domos vel totius civitatis domum, dico prytaneum, positis dicta si in memoriam reducere velimus, haud dubium est, quin iam antiquis temporibus ara Iovis Hercei in principum domibus, deinde ara penatum ibidem, postremo Vesta seu Vestae cum penatibus ara in publicis prytaneis supplicibus fuerit tutelae. Utrum vero apud Graecos uniuscuiusque domus penates supplicibus tutum refugium dederint, nec ne, in ambiguo est relictum. Nam id, quod Cicero [38]), ut oratorem decet, copiose dicit:

„Nihil sanctius, nihil omni religione munitius, quam domus unius cuiusque civium, ubi sunt arae, foci, ubi dii penates, sacrae religiones et caerimoniae continentur; hoc perfugium est ita sanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas sit"

apud Graecos quoque valuisse, non est, cur existimemus. Attamen tanta per democratiam in Atheniensium civitate stabilita erat libertas, ut ipso tempore, quo triginta tyranni dominabantur, sua cuique domus, dum modo huc se absconderet, inviolabile esset refugium [39]. Neque vero inde hominem sceleratum ne per magistratum quidem domo extrahi et in iudicium duci potuisse suspicari licet.

Qua re facile ad aliam quaestionis partem, quae adhuc restat ducimur. Nam, ut iam initio indicavimus, cum illis viris doctis, qui seculo decimo septimo de asylis scripserunt, Osiander, Hoffmannus [40]) et Wachsmuthius etiam scelestis hominibus Graecorum templa patuisse et praesidio fuisse sine ulla temporis ratione contenderunt. Quae opinio, quamvis late dispersa et confirmata esse videatur, deorum tamen ac templorum naturae et religioni adeo repugnat, ut non nisi multis et gravissimis documentis convicti hanc

---

37) Boeckh. expl. ad Pind. Nem XI. P. II. p. 2. 477.

38) Pro domo c. 51. §. 109.

39) Demosth. in Androt. 609. 30. Cf. Meier et Schömann l. cit. p. 588.

40) Ersch et Gruber Allgemeine Encyclop. der W. u. K. sub voce Blutrache. II. Th.

sequi possimus. Hoffmannus vero postquam de Hebraeorum asylorum iure ac conditione optime disseruit, hoc tantum addidit, Graecorum inter et Hebraeorum asyla hoc potissimum interfuisse, quod hi eos, qui caedem de industria perpetrassent, in asyla non admisissent, illi contra etiam tales excepissent; nec vero ulla ratione hanc gravem criminationem confirmare tentavit. Quam ob rem eum, sicut illum Osiandrum, de quo satis iam initio diximus, sine ulla iniuria praeterire possumus. Restat igitur, ut Wachsmuthii argumenta diligenter accurateque examinemus. Bei einigen andern Heiligthümern, inquit Wachsm. [41]), wurde selbst Verbrechern eine Freistätte offen gehalten; dieser Asyle ist schon oben gedacht worden [42]). Sunt vero haec: Theseum, Artemidos ara in Munychia, antiquum Neptuni templum in Taenaro, eiusdem in Calauria, Iunonis et Artemidos templa in Samo insula, Terrae matris fanum in Hermione, Artemidos templum Ephesium et denique Athenae Aleae templum in Tegea urbe. Iis vero locis, quos Wachsm. de Theseo citavit, nihil aliud, quod iam antea vidimus, demonstratur, nisi servos, qui dominorum crudelitatem ac saevitiam non amplius perferre possent, huc confugere solitos fuisse, ut πρᾶσιν impetrarent. Ex loco deinde de Munychiae Artemidos ara a Wachsm. ex Demosthenis de corona oratione [43]) citato nihil aliud, nisi id cognoscimus, nonnunquam eum, cui vel maiores, quam quos ferre posset vel, ut ipse quidem arbitrabatur, iniusti sumptus ad triremes publicas extruendas essent impositi ad hanc aram confugisse. Quod Taenarum attinet, citat Wachsm. Thucydidem [44]), ex quo servos supplices a Spartanis hinc abreptos esse ideoque gravem terrae motum iis a diis iratis esse immissum cognoscimus. Ut ad Neptuni fanum in Calauria transeamus, summam huius templi religionem etiam posteriore aetate plurimum valuisse eo loco quem Wachm. ex Plut. [45])

---

41) L. cit. 2. Th. 2. Abth. p. 219.

42) L. cit. 2. Th. 1. Abth. p. 188.

43) §. 263.

44) Lib. 1. c. 128.

45) Demosth. v. c. 29.

citavit, demonstratur [46]. Ut Iunonis et Artemidos fana in Samo insula Terraeque matris templum in Hermione et locos a Wachsmuthio de his citatos, ne refutatio nostra sit taedio, praetermittamus, praesertim, quum id, quod Wachsm. statuit, nequaquam inde comprobatum sed solam horum fanorum sanctitatam demonstratam videamus, ad ea iam duo templa, quae restant, progrediamur. De Ephesio Dianae templo sanctissimo Plutarchus [47] memoriae prodidit, Dianam hoc in fano obaeratis *ἀσυλίαν καὶ ἄδειαν ἀπὸ τῶν δανείων* praebuisse. Hoc sane aliquid eiusmodi esse videtur, quod Wachsmuthii sententiam comprobare possit. Attamen quis est, qui non videat, hanc esse religionis depravationem, cui non iis temporibus, quibus Graecorum religio adhuc incolumis stabat, sed tum temporis demum, quum per hominum cupiditates templorum sanctitas undique corrupta et in vulgarem ac profanum usum conversa erat, locus fuerit. Quod postremo Athenae Aleae templum in Tegea attinet, huc Pausanias, quum desperasset, fore, ut civibus suis, se non nisi rerum necessitate coactum post infelicem ad Haliartum pugnam, in qua occisus erat Lysander, ab omni in hostes impetu abstinuisse induciasque fecisse, persuaderet, iudicium eorum iratorum haud iniuria timens confugit et receptus est. Pausanias ille, qui Graeciam descripsit, »*Ἦν δὲ ἄρα τὸ ἱερὸν τοῦτο*,« inquit [48], »*ἐκ παλαιοῦ Πελοποννησίοις πᾶσιν αἰδέσιμον, καὶ τοῖς αὐτόθι ἱκετεύουσιν ἀσφάλειαν μάλιστα παρείχετο· ἐδήλωσάν τε οὔτε Λακεδαιμόνιοι τὸν Πανσανίαν καὶ Ἀργεῖοι Χρυσίδαν καθεζομένους ἐνταῦθα ἱκέτας οὐδὲ ἀρχὴν ἐξαιτῆσαι θελήσαντες.*« Summa igitur fuisse hoc Athenae Aleae templum in Tegea religione ac sanctitate nemo

---

[46]) Quod hoc quoque Strabonis testimonio comprobatur:
Οὕτω δ' ἐπεκράτησεν ἡ τιμὴ τοῦ θεοῦ τούτου παρὰ τοῖς Ἕλλησιν, ὥστε καὶ Μακεδόνες δυναστεύοντες ἤδε μέχρι δεῦρο ἐφύλαττόν, πως τὴν ἀσυλίαν καὶ τοὺς ἱκέτας ἀποσπᾶν ᾐδοῦντο τοὺς εἰς Καλαυρίαν καταφυγόντας· ὅπου γε οὐδὲ Δημοσθένη ἐθάῤῥησεν Ἀρχίας βιάσασθαι στρατιώτας ἔχων, ὃς προσετέτακτο ὑπὸ Ἀντιπάτρου ζῶντα ἀγαγεῖν κἀκεῖνον . . . ἀλλὰ πείθειν ἐπειρᾶτο. Strabo VIII. c. VI.

[47]) De vitandis usuris 9. 293.

[48]) III. c. 5. §. 67. conf. Xenophon hist. Graec. III. 25. Plut. Lysand.

invenitur, qui ex loco hoc a Wachsm. citato persuasum non habeat. Num quid omnes illi loci, quos Wachsmuthium ad opinionem suam tuendam citasse cognovimus, aliud demonstrant, nisi summa fuisse illa templa, quorum mentio est facta, inter Graecos religione? Minime vero, etiam scelestis hominibus deorum templa patuisse et praesidio fuisse, id quod Wachsm. opinatus est, illis locis comprobatur. An est quisquam, qui vel servos dominorum crudelitate vel cives nimiis impensis oppressos vel summos viros, rerum angustiis circumventos, ut Demosthenem et Pausaniam, hominibus sceleratis adnumerare possit? Nonne potius nobis et gaudio et consolationi esse debet, quod iis, quibus contra crudeles dominos vel adversus intemperantem ac mobilem civium multitudinem vel in saevos hostes nihil praesidii in iure esset relictum, deorum potentia, seu religio templorumque sanctitas tutelae ac saluti fuit? Atque illis locis, quos Wachsm. citavit, non solum non adducimur, ut in eandem cum Wachsm. eiusque sociis abeamus sententiam, sed ipsius religionis ratione habita eiusque praeceptis cognitis plane contrariam sequi debemus sententiam. Nam licet illi loci etiam scelestis hominibus Graecos ad templa aditum dedisse coarguissent, quid amplius inde sequeretur, quam ut religione homines iam abusi essent. Dii enim iis hominibus numquam aditum ad templa dare poterant. Nam si eiusmodi homines excepissent, nonne omnia scelera atque omnes fraudes comprobassent et defendissent, nonne omnia divina et humana iura evertissent et haec ab hominibus in posterum sancta esse habenda negassent? Quo nihil magis Graecorum diis et religioni nondum corruptae contrarium esse potuit. Per deos ergo seu religionem hominibus scelestis non licuit templa intrare nec eius generis homines iis excipi fas fuit. Quam sententiam et, ut ita dicam, religionem Graecos quoque procul ab illa Wachsmuthii opinione revera secutos et professos esse nec impiis ab scelestis hominibus aditum ad deorum templa dedisse plurimis et certissimis ipsorum Graecorum testimoniis docemur. Euripides enim hanc Graecorum religionem plane pronuntiavit primum per Iphigeniam [49]:

[49]) Iphig. Tauric. v. 360.

τὰ τῆς θεοῦ δὲ μέμφομαι σοφίσματα
ἥτις βροτῶν μὲν, ἤν τις ἅψεται φόνου,
ἢ καὶ λοχείας, ἢ νεκροῦ θίγῃ χεροῖν,
βωμῶν ἀπείργει, μυσαρὸν ὡς ἡγουμένη.

deinde per Iovem [50]:

τοὺς μὲν γὰρ ἀδίκους βωμὸν οὐχ ἵζειν ἐχρῆν
ἀλλ' ἐξελαύνειν, οὐδὲ γὰρ ψαύειν καλὸν
Θεῶν πονηρὰν χεῖρα· τοῖς δ' ἐνδίκοις
ἱρὰ καθίζειν, ὅστις ἠδικεῖτ' ἐχρῆν·
καὶ μὴ 'πὶ ταὐτὸ τοῦτ' ἰόντ' ἔχειν ἴσον
τόν τ' ἐσθλὸν ὄντα, τόν τε μὴ, Θεῶν πάρα.

Et Athenienses, dum Delii sanctissimi Apollinis fani occupati se purgare student, id non nisi delictis non voluntariis aras refugium praebere (τῶν ἀκουσίων ἁμαρτημάτων καταφυγὴν εἶναι τοὺς βωμούς) denegare non poterant. Atque adeo apud Athenienses lege vetitum erat, ne quis, caede etiam haud voluntaria pollutus ad deos, eorum templa resque sacras accederet. ὁ νόμος τὸν ἀνδροφόνον (haud voluntarium) τῆς πατρίδος καὶ τῶν ἐν ταύτῃ πάντων καὶ ὁσίων καὶ ἱερῶν εἴργει [51]. Nec mirum est. Nam is, qui caede, seu culpa aliqua pollutus, non purus ergo sed ἀλιτὸς, ἐναγὴς, μιαρὸς seu ἀνόσιος esset, ibi commorari non poterat, quin ipsam templi sanctitatem contaminaret, itaque sacris locis ipse abstinere debebat vel, sin minus, a nemine non erat inde reiiciendus. Eadem de causa is, qui caedem etsi haud voluntariam vel iustam perpetrasset, prius expiaretur necesse erat, licet eius, qui occisus erat, propinquis iustae poenae essent datae, necquidquam, quominus in patriam rediret, post annuum exsilium obstaret. Samothraciae quoque religione praeterea, illius sacrae insulae, quae hanc diutissime retinebat, impiis hominibus deorum templa apud Graecos per religionem non licuisse intrare et eos excipi nefas fuisse satis comprobatur. Quum enim Perseus post infelicem apud Pydnam pugnam cum Evandro sibi amicissimo hanc in insulam se recepisset; Attilius illustris iuvenis a magistratibus petiit, ut sibi paucis alloquendi populi potestatem facerent. Permisso „utrum nos,

50) V. 1312.

51) Demoth. in Arist. 633.

hospites Samothraces" inquit „vere accepimus, an falso, sacram hanc insulam et augusti totam atque inviolati soli esse? Quum creditae sanctitati adsentirentur omnes" cur igitur," pergit, „pollutam homicida sanguine regis Eumenis violavit? Et, quum omnis sacrorum praefatio eos, quibus non sint purae manus, sacris arceat, vos penetralia vestra contaminari cruento latronis corpore sinatis?" Itaque praeterquam quod in potestate Romanorum sese insulamque totam et templum esse cernebant, Theondam, qui summus magistratus apud eos erat, ad Persea mittunt, qui nunciaret: Argui caedis Evandrum Cretensem; esse autem iudicia apud se more maiorum comparata de iis, qui incestas manus intulisse intra terminos sacratos templi dicantur; si confideret Evander innoxium se rei capitalis argui, veniret ad causam dicendam; si committere se iudicio non auderet, liberaret religione (expiando violatae sanctitatis scelere) templum ac sibimet ipsi consuleret [52].

Forsitan aliquis contra dixerit, deos non permisisse quidem, ut impuri ac scelesti homines templis exciperentur, sed, etiamsi hoc per religionem non licuerit, tamen homines, quippe qui omnia facere et etiam sanctissima contaminare audaces tantam, ut impios ac scelestos templis arcerent, non habuisse templorum sanctitatis curam et inde factum esse, ut etiam caede polluti atque sceleratorum quisque ad templa confugerent iisque exciperentur. Quod utrum usu evenerit, nec ne, et quando, quoties quantumque hoc evenerit, quae res iure religionis depravatio nominari debet, statim secundo in nostrae quaestionis capite videbimus.

§. II.

Quum enim illud ius divinum omnibus partibus cognitum habeamus, ad secundum caput illustrandum progrediamur, quanta religione illud a Graecis diversis aetatibus observatum, vel sin minus, quantum per hominum cupiditates sit violatum ac depravatum. Ne taedio quaeso ii, qui haec legunt, afficiantur, quum, ne quidquam eorum, quae ad rem nostram pertinere videantur, praetermittam, Graecorum res inde fere ab initio

52) Liv. XL. V. c. 5.

repetere et usque ad Tiberium Romanorum imperatorem percurrere necesse habuerim. Athenienses, ut iam antea vidimus; Doriensibus supplicibus, id quod per Iovis Dodonaei oraculum iis demandatum erat, pepercerunt. Paulo bost Cylon, Atheniensis vir et antiqua ac nobili gente et magna inter cives potentia et praeterea victoria in Olympiis reportata insignis, ut rerum potiretur, a Theagine, Megarensium principe, socero suo, pluribusque amicis adiutus subito Athenarum arcem cepit. Quem res novaturum inde deiicerent, quum Athenienses undique convenissent; ipse Cylon cum fratre re desperata clam aufugit; eius vero socii, quum fugae spes, quoniam Atheniensium multitudo, ipsa quidem diuturna obsidione fessa, archontibus hos cum delecta manu obsidendos commiserant, iis esset adempta et fame adeo laborarent, ut aliquot eorum iam interiissent, tandem ad Minervae aram in arce supplices consederunt. Qui, ut Herodotum sequamur, a Naucrariorum prytanide, ea scilicet senatus parte [53]) quae his ipsis diebus reipublicae praeerat, sponsione facta, supplicium non esse sese passuros, vel si potius Thucydidi fidem habeamus, ab archontibus, ne locus sacer cadaveribus pollueretur, fide data, nihil acerbi in ipsos statutum iri, vel ne tandem Plutarchum praeternittamus, a Megacle archonte impulsi ad causam dicendam quum descenderent, maxime ab Alcmaeonidis, id quod inter omnes auctores constat (*φονεῦσαι δὲ αὐτοὺς αἰτίη ἔχει Ἀλκμαιωνίδας*) magna ex parte nefarie interfecti et eorum pauci, qui ad propinquas deas venerandas confugerant, ad ipsas has aras trucidati sunt. Sane id, quod ex Plutarcho cognovimus, memoria dignum esse videtur, quod illi, dum ad causam dicendam descendunt, filum Minervae simulacro annexum manu tenebant. Quo illis, ubi venerandis deabus appropinquarunt, sua sponte abrupto, Megacles cum collegis, quasi dea supplices reiiceret, ad eos interficiendos proruisse et eos quidem, qui iam extra erant, saxis obruisse, ceteros vero ad ipsas Eumenidum aras, ad quas interim confugerant, trucidasse fertur [54]). Alcmaeonidae, quum ita contra ius et fas suppli-

---

53) Schömann et Meier l. cit. p. 21 — 22.

54) Herodot v. 70. Thucyd. I. 126. Plutarch. Solonis vit. cf. Paus. lib. VII. c. 25.

ces interfecissent, gravissimum in se commiserunt piaculum. *ἐκ τούτου δὲ κληθέντες ἐναγεῖς ἐμισοῦντο.* Hinc discordiae gravissimae Cylonios eos, qui supererant, inter et Megaclis gentem exortae populum in partes divisum habebant et totam rempublicam disturbabant, donec Solon intercedens illos piaculares (*ἐναγεῖς*), ut causam dicerent iudiciumque apud trecentos viros ex primoribus civitatis delectos subirent, permovit. Quo iudicio damnati quum essent, ipsi in exilium acti et ossa eorum, qui tum defuncti erant, effossa et trans fines proiecta sunt. Etenim ex Graecorum more qui deorum templa violassent, eos sepeliri nefas erat [55]. Quoniam nihilo minus per spectra, vates portentaque quaedam piacula ac noxae denuntiabantur expianda et urbs Athenarum ipsa, quum ii, qui illud facinus perpetraverant, Megacles archon vel archontes vel prytanis (*αὐτοὶ οἱ ἔχοντες τὰς ἀρχάς.* Paus.) magistratum gessissent, aliquid piaculi concepisse putabatur; Epimenides, vir religiosus, ut eam lustraret, ex Creta arcessitus est [56]. Deinde, ne alios Graeciae populos praetermittamus, ut Achaei, quum eos, qui in Neptuni fanum in Helice iam Homeri aetate [57]) clarissimum et adeo sanctum, ut Iones ex Achaia migrantes hunc cultum in Atticam et inde in Asiam minorem transferrent, supplices confugerant, vi abductos trucidassent, terrae motum tam ingentem, ut tota haec urbs cum omnibus et aedificiis et incolis terrae hiatibus hauriretur, et maris undas adeo in terram superfusas, ut tota regio mari obtegeretur nec urbis nec fani ullum relinqueretur vestigium, per Neptunum admodum sibi iratum esse immissa arbitrabantur [58]; ita Lacedaemonii ingentem terrae motum, qui Spartam ita, ut nullum staret aedificium, diruit, poenam a diis immissam ducebant, propterea, quod Helotes, qui in Neptuni templum speluncae simile in Taenaro promontorio situm confugerant, vi abstractos necavis-

---

55) Diod. sicul. lib. XVI. c. 25.

56) Plut. vit. Sol.

57) Iliad. II. v. 576. VIII. v. 203. XX. v. 403.

58) Paus. VII. c. 24. Strab. VIII. Ovid. Met. XV.

sent [59]. In idem Neptuni fanum haud ita multo post vir Argilius, Pausaniae servus fidelissimus et idem postea proditor, quia a Pausania ob perfidiam supplicium metuebat, confugit, ubi, ut satis notum est, Pausanias hunc adiit et ipse suo colloquio cum hoc servo et indicio effecit, ut Ephori clam ibidem praesentes eum proditionis convictum tandem iudicarent. Pausanias deinde, postquam Spartam rediens ex Ephororum vultibus se ad supplicium iam esse destinatum abunde sentiit, gradus, ut Ephoros praeveniret, corripuit, in Minervae, quae *χαλκίοικος* seu *πολιοῦχος* vocabatur, templum (*ἱερὸν*) confugit et in parvo quodam aedificio, quod in hoc templo (*ἱερῷ* seu *τεμένῳ*) erat, consedit. Verum tamen summa huius templi sanctitas, etsi eum ab civium insectatione plane non defendit, hoc effecit, ut Spartani, quum animadvertissent illum iam in eo esse, ut animam expiraret, ne locus sacer cadavere pollueretur, ex terminis templi huius sacratis eum abducerent. Apollo vero Delphius, quum Spartani de aliis rebus eum consulebant, semper id responsum dabat, illius templi sanctitatem ab iis esse violatum nec quidquam se esse responsurum, priusquam illum supplicem deae restituissent. Spartani, quomodo oraculo dato satisfacerent, diu consultato tandem duos Pausaniae imagines seu statuas in deae violatae templo posuerunt, quas etiam postea Pausanias ille, qui Graeciam descripsit, ibi stantes vidit [60]. Fere idem responsum iam prius Alyattes, Lydorum rex, quum ex bello adversus Milesios, quo in bello haud sine eius militum culpa aedes Athenae Assessiae sacra incendio erat deleta, reversus gravem in morbum incidisset et per legatos Apollinem Pythium, quanam re a morbo gravi et iam longinquo liberari posset, consuluisset, retulisse fertur, nihil responsi, priusquam Alyattes sacram illam aedem restituendam curasset, Apollinem esse daturum. Quod facere iussus Alyattes, quum pace cum Milesiis facta pro una aede deleta duas restituisset, ex morbo convaluisse traditur.

---

59) Paus. VII. c. 25. Thucyd. 1. 128.

60) Thucyd. I. 128 — 35. Paus. III. 17. Diod. Sicul. lib. XI. 45.

Quae adhuc exposita sunt, si respiciamus, haec habebimus persuasa. Primum Apollo Delphius, cuius auctoritate maxime tum temporis, quum Spartani Graeciae principatum tenebant, apud Graecos tanta erat, ut fere omnes imprimis Spartanorum res eius nutu regerentur nec quidquam maioris momenti sine eius auctoritate ac consilio gereretur, praecipuam gerebat curam, ne templorum sanctitates violarentur. Deinde, licet multa eius generis exempla temporum oblivione obruta nec a rerum scriptoribus memoriae prodita sint, raro tamen in Graeciae civitatibus, ut homines in deorum templa confugerent, evenisse videtur. Quod eo rarius eveniret necesse erat, quo magis civitatum leges saevae ulciscendi cupiditati resistebant ac variis hominum sceleribus leges imponebantur ac iudicia constituebantur. Ut apud Athenienses, quorum leges ac iudicia omnium maxime nobis nota sunt, de iis, qui caedem perpetrassent de industria, Areopagus, de iis, qui non de industria, Ephetae in Palladio, de iis, qui caedem vosuntariam quidem, sed eam, quam iustam defenderent, Ephetae in Delphinio, de iis, qui caede perpetrata confugissent, Nomothetae, itaque de omnibus sceleratis certi iudices iudicium ferebant, ut cuilibet gravioris momenti sceleri certa iudicia et poenae, verbi causa caedi non voluntariae annuum exsilium legibus esset institutum [61]. Itaque fieri non potuit, quin homines tum, quum civitates pace utebantur, perraro in deorum tutelam se recipere cogerentur, nisi forte aliquando servus quis, infra leges quum esset constitutus, vel civis, debita solvendo quum esset impar, nihil aliud, nisi deorum misericordiam habebat, quod imploraret. Quandocunque vero seu internis civium dissidiis, ut Athenis Cylonis tempore, seu hostium incursionibus tempestates adeo turbidae essent factae, ut inter arma non solum civitatis leges, verum etiam omnia divina et humana iura silerent nec amplius hominum cupiditatibus resistere possent, quominus

---

61) Demosth. in Aristocrat. cf. Meier et Schömann l. cit. 15—18. 146. 300—310—311. 315. — *κατὰ τὸν νόμον τὴν φυγὴν ὑπομένειν* Demosth. l. c. Hom. Odyss. XIII. v. 259. XIV. 380. Jliad. XXIII. v. 86, XXIV. 480. Hes. scut. Hercul. 82. Aeschyl. suppl. 7—8. Schol. ad Sophocl. Hyppol. Müller Dorer I. 334.

vis iure potentior omnia administraret: tum necesse erat saepius evenire, ut vel ii, quorum res non esset superior vel ii, quibus contra saevos hostes nihil in iure praesidii esset, in deorum templa confugerent. Denique, ut rem breviter complectamur, etiamsi ea potissimum exempla, ubi supplices violati sint, a rerum scriptoribus litteris mandata esse concedi oporteat, hoc tamen divinum ius quod supplices tutos praestaret iam inde ab antiquis temporibus saepius violatum esse negari non potest. Utique etiam res sanctissimae ab hominibus contaminari ac depravari solent. Quamquam hoc est confitendum, hac aetate usque ad bellum peloponnesiacum non tam prava atque in deos impia mente, quam potius subita irae ac sibi intemperantis cupiditatis vi homines Graecos raptos esse et ablatos, ut templorum sanctitatem negligerent atque adeo ab aris sacris supplices abriperent vel etiam ad eas trucidarent. Nonne ex eo quod et res adversas ac graves calamitates, si religionem violatam sequerentur, poenas esse a diis iratis immissas vulgo ducebant, et eos, qui supplicibus non pepercerant, *ἐναγεῖς* habebant patriaque terra expellebant atque adeo eorum ossa trans fines iaciebant, nec minus ex eo, quod Apollini Pythio, iubenti supplicem restitui, dicto audientes erant, satis intelligere possumus, quam sanctum atque inviolabile ius illud divinum hac aetate hominum animis inhaereret? Ceterum id quod nimio irae fervore incensi et animorum intemperantia oppressi templorum sanctitatem neglexerunt, minus Graecis crimini vertere debemus, quia hunc eundem fervidiorem animorum ardorem Graecorum et imprimis Atheniensium illa maxime iuvenili aetate proprium fuisse et patriae ac libertatis amore esse inflammatum et eo plerumque coniunctum fuisse praetereaque tam magnanima facinora procreasse ac tam praeclarum litterarum et artium florem expulisse haud ignoramus. Neque etiam usque ad bellum peloponnesiacum ii inventi sunt, qui deorum templa expilarent et res sacras in suum converterent usum [62]. Nisi forte in auxilium vocas Cyrrhaeos, qui utique agrum occuparunt, qui erat templi Delphici. Sed

---

[62]) Boeckh. Oec. Athen. II. 141.

hoc in eos tam graviter ex Amphictyonum decreto per Solonem et Clisthenem Sicyonium animadversum est, ut suo ipsorum agro mulctarentur et eorum oppidum everteretur. Quod unum igitur exemplum nihil impedimenti affert, quominus arbitremur, ex deorum templis usque ad bellum peloponnesiacum res sacras minime ablatas esse. Postremo ut ad tertiam rem, qua templa sancta violantur, transgrediamur, etiamsi quis Cylonios et Pausaniam hunc in numerum retulerit, non tamen tanta fuit eorum copia, qui impuris manibus ad deos accedere ausi sint, ut homines caede vel alio scelere pollutos ad templa confugere iisque excipi in usu fuisse statuamus. Quidnam vero ad hoc usque tempus illam sanctitatem ac tutelam templis attribuit? nulla profecto alia res, quam religio, adhuc hominum animis adeo firmiter infixa, ut deos verentes nec homines, qui in deorum tutela essent, nec res, quae diis consecratae eorumque igitur essent, abripere vel tangere auderent. Eadem quoque religio, seu pietas in deos seu timor impediebat, quominus ille animorum fervor nimis exardesceret in iram ac res crudeles et homines, quo sua quemque libido et sui quemque ipsius commodi studium ducere solent, huc abriperentur.

Sed religio Graecorum, utpote quae, etsi antiquis iam temporibus per vividam imprimis poetarum cogitationem admodum laetis exornata erat imaginibus, veritate tamen careret nec nisi iuveniles animos, qui laetis imaginibus cum gaudio inhaerere solent, capere atque oblectare valeret, simulac veri indagandi studium, hominum animis insitum, mentes exagitare aut aliqua res seu publica seu privata animos occupare coepit, non amplius nec sapientibus satis facere nec hominum cupiditates coercere et regere potuit. Unde factum est, ut tum philosophi, veluti iam ii, qui Ionici vocantur, maxime vero Anaxagoras, primi ab antiqua ac vulgari religione diisque patriis se abdicarent, tum quo magis res seu publica seu privata crescebat, mentes excolebat animosque sibi vindicabat, eo magis religio ac pietas in deos ex hominum animis recesserit. Haec tamen religionis ruina, quo longius procedimus, eo maior et iam ante bellum peloponnesiacum invecta, quominus subito ingruerit et palam facta sit et mores depravatos atque cupiditates effrenatas statim secum duxerit, imprimis eo impeditum est, quod patriae

et libertatis a Persis defensae amor Graecos, maxime Athenienses, aliquamdiu captos tenebat et proprii commodi studium, alioquin in hominum animos nimium valens coercebat nec suis quemque cupidatibus obsequi patiebatur. Vix autem illi Sophistae sibi maxime opportuno tempore urbe Athenis recepti, quantum oratio artificiose composita et ornata valeret et ut quaelibet res disputationis artificio nunc vera nunc falsa demonstrari posset, Atheniensibus ante oculos ponere et non solum veritatem nullam, sed etiam deos nullos et non nisi poetarum imagines et puerorum plebisque opiniones esse eos docere coeperant, quum respente religio perdiu iam senescens evanescit patriaeque amor subruitur nec quidquam obstat, quominus suo quisque commodo solo regeretur et suo quisque animi ardore ad crudelissima atque maxime impia quaeque impelleretur. Haec religionis et patriae amoris ruina, hoc inde ortum propriae utilitatis studium et haec omnium cupiditatum licentia, quantopere praeterea acerbis contentionibus ac rebus adversis belli peloponnesiaci [63]) adaucta et manifesta sint facta, Thucydides, quo non alter hominum animos melius cognovit et planius describere valuit, nos illa praecipue morum corruptorum descriptione, quam funestis dissidiis ac caedibus inter nobiliores et populum Corcyrae insulae expositis adiunxit, optime docuit. [64]) Hanc Thucydides descriptionem depromere et Graecorum religionem eversam moresque in deterius mutatos, de quibus Stollius mihi amicissimus copiose ac subtiliter disseruit, latius exponere iure meo supersedeo.

Id iam, quod ad quaestionem propositam proxime pertinet, aggredior, copiosius narrare, quomodo haec agendi ratio ex proprio commodo omnia Sophistarum more et doctrina emetiens et haec cupiditatum licentia sacrilegiis supplicumque caedibus quoque palam factae sint. Initio enim belli peloponnesiaci, quum Archidamus, Spartanorum rex iam finibus Atticae bellum intulisset, Pericles, ut Atheniensium animos afflictos erigeret ac firmaret, iis, quot talenta, quantum aurum et argentum non signatum, quotque vasa et res pretio-

---

63) ὁδὲ πόλεμος βίαιος διδάσκαλος Thucyd. III. 82. cf. II. 134.

64) III. 82.

sae et in Minervae et in aliis templis essent, enumerat veniamque et spem fecit, sese et his thesauris et ipso auro, quo dea circumdata esset, si summis rerum angustiis premerentur, esse usuros [65]. Quamquam hanc ob rem Pericli minus irasci neque ita magno ducere possumus crimini, praesertim quum hanc conditionem ipsis verbis addiderit, dummodo hoc aurum et haec pecunia haud minore pondere restituerentur, malo tamen in posterum fuisse exemplo infitias ire non possumus. Et pecunias sacras in hoc non tantum mutuas sumptas, sed etiam revera ablatas esse, hac induciarum, quae Lacedaemonios inter et Athenienses sunt factae, conditione, satis certo testimonio confirmatur: Atheniensibus, Lacadaemoniis ceterisque esset curae, ut ii, qui ex Apollinis Delphici templo sacram pecuniam abstulissent, deprehenderentur et in eos iure atque ex maiorum institutis animadverteretur [66]) Quid tandem ex eo, quod Athenienses Delium illud in Boeotia situm sanctissimum Apollinis templum, de quo iam supra diximus, occuparunt et id castellum fecerunt, unde Boeotiae urbes democratiae faventes adiuvare, ceteras vero invadere possent, itaque totum hoc fanum sanctissimum omnesque eius res sacras in suum profanum usum convertere non sunt veriti, aliud coniicere licet, nisi utilitatem in Athenienses, praecipue in eos, qui praeerant rei publicae, plus religione valuisse? Nonne etiam ex eo, quod Athenienses artificiosa oratione, sane Sophistis digna, Boeotiis persuadere tentarunt, religionem non esse laesam, belli enim necessitate coactos sese hoc in templum confugisse, satis intelligimus, quam illam pravam Sophistarum doctrinam hi iam suam fecissent [67]. Iidem iterum, quum Delum, sanctam insulam, tum temporis Spartanis faventem, etsi morem priorem [68]) secuti nec aliud quidquam sese facturos esse, nisi ut hanc expiarent eiusque sanctitatem defenderent, simulantes, verbo expiarent, re vera autem incolas tota ex insula eiicerent eamque suam in potestatem re-

65) Thucyd. II. 13.
66) Thucyd. IV. 118.
67) Thucyd. IV. 90. 97—98.
68) Thucyd. V. 1. Boekh. I. 440 et seq.

digerent, quis est, cui non magis suae utilitati inserviisse, quam religionis causam egisse videantur? Quoniam igitur non religio antiqua amplius Atheniensium animos regebat et cupiditates coercebat, sed proprii commodi studium solum in eos vel maxime dominabatur cupiditatesque erant effrenatae, quis est, cui mirum esse possit, ut non amplius deorum templa ac res sacrae intactae fuerint? Eadem res in conspectum nostrum venit, si inquirere velimus, supplicesne tum temporis in templis tuti fuerint. In Corcyra insula populares, acerbis hos inter et nobiles exortis dissidiis, quum tandem per Atheniensium, imprimis eorum ducis Eurymedontis opem de nobilibus admodum cruentam reportassent victoriam, septem per dies summa ira ac saevitia in eos saeviebant, ita, ut quoscunque inimicos habebant, trucidarent, etiam complures privatas ulciscerentur inimicitias atque adeo a debitoribus occiderentur creditores. Omnis denique, inquit Thucydides, caedis species videbatur, nihil non evenit, quod in huiusmodi casu fieri solet atque etiam amplius. Etenim pater filium et filius patrem trucidabat et supplices a templis ad necem abstrahebantur atque adeo ad aras necabantur. Nec desunt huius rei singula exempla. Ii enim nobiles, haud minus quadrigenti, qui in Iunonis templo capti tenebantur, primum ad iudicium subeundum ut exirent impulsi sunt. Quum omnes vero, quibus, ut exirent, persuasum erat, morte damnati ac gravi supplicio essent necati; ceteri, multo maior numerus, supplicio de sociis suis sumpto satis edocti, maximam partem in templo se ipsi invicem necaverunt, reliqui ex arboribus interemerunt se ipsi laqueis, vel quacunque poterant via mortem sibi consciverunt. Num profecto tam crudelia in semet ipsi egissent, nisi pro certo habuissent, etiam crudeliora se ab inimicis passuros esse? Nequaquam errore illos fuisse captos, iam ex eo liquet quod alii nobiles, qui in Bacchi delubrum se receperant, delubro obstructo ibi fame interierunt [69]. Etiam aliam malignam artem, dico eam, materia circa aram vel templum congesta et incensa supplices comburendi, per hominum sagacitatem, utpote quae piaculum evitare studeret, hac aetate inventam

---

[69]) Thucyd. III. 70—81.

esse, pro certo scire licet, quum in Euripidis, qui quam optime huius aetatis mores depingit, tragoediis haud rara illius artis, qua religio externa certe forma non violatur, documenta nobis occurant [70]. Illum igitur fervorem, Graecorum, imprimis Atheniensium animis insitum, non amplius vel deorum pietate ac religione vel patriae amore esse coercitum sed in maxime impia ac crudelissima quaeque proruisse et paulatim in omnium cupiditatum licentiam esse mutatum, nonne abunde nobis persuadetur? Annon haec cupiditatum licentia ex multis atque ingentibus miseriis, quibus Athenienses bello peloponnesiaco vexati sunt, cognosci potest? Nonne haec praecipua fuit causa, cur Atheniensium respublica primum multitudinis intemperantis dominationi atque internis turbis, deinde hosti succumberet itaque hoc ex bello non solum non superior discederet, sed etiam plane interiret? Neque vero, ut tristissimum Theramenis interitum, de quo iam antea mentio facta est, hoc loco praetermittamus, post illam crudelissimam triginta tyrannorum dominationem Athenienses antiquam religionem et priorem patriae amorem receperunt neque igitur templis abstinuerunt. Licet enim rarius id evenerit, quum internis dissidiis compositis rarior cupiditatibus exuberandi occasio offeratur, unum tamen pro omnibus exstat exemplum. Nam Iphicrates, Atheniensium dux, quum statuas aureas et eburneas occupasset, quas Dionysius Syracusarum tyrannus paulo ante bellum sacrum tertium Olympiam et Delphos miserat, ut Iovi Olympio et Apollini Pythio consecrarentur, Athenienses interrogati, quid his faceret, responderunt, ne quid diis deberetur, sed unde milites aleret, curam gereret. Atque sane memorabile est initium epistolae, qua hac de rapina Dionysius queritur: Senatui populoque Atheniensium salutem dicere ineptum fore, qui deos terra marique diripiant [71]. Neque vero Athenienses soli, sed etiam Spartani, etsi prius frugales atque abstinentes, ce-

---

70) Euripid. Hercul. furens. v. 240. Andromacha v. 256. 287. cf. Senecae Herc. fur. 506. Plaut. Mostell. act. v. sc. I. Rudens act. 3. sc. 4. Potter I. 482 — 83.

71) Diod. Sicul. XIV. c. 57.

terique Graecorum populi post bellum peloponnesiacum hac avaritiae peste cupiditatumque licentia et hac religionis morumque ruina magis magisque correpti sunt. Quod esti haud ignoranti, quae post bellum hoc secuta sunt, satis manifestum est, tamen quomodo hoc deorum contemtione et sacrilegiis palam factum sit, paucis exponere libet. Primum, quod Spartanos proxime attinet, in memoriam revocaverim malignam artem, qua Lysander ille astutus Apollinis Pythii sacerdotes eo perduxit, ut sua adiuvarent consilia. [72]) Et paulo post Spartani Delphis cum Thebanis aliisque Graeciae populis de pace constituenda egerunt, cum Apolline nihil communicantes [73]) *τῷ μὲν θεῷ οὐδὲν ἐκοινώσαντο — αὐτοὶ δ'ἐβουλεύοντο.* Prope singularis autem hac aetate Agesilai Lacedemoniorum regis pietas in deos fuisse videtur. Cuius ad Coroneam victoriae, ut Cornelii Nepotis verbis utar, vel maxima fuit laus, quod, quum plerique ex fuga in templum Minervae se coniecissent, quaereretur ab eo, quid his fieri vellet; etsi eo proelio aliquot vulnera acceperat et iratus videbatur omnibus, qui adversus eum arma tulerant, tamen antetulit irae religionem et eos vetuit violari. Neque hoc solum in Graecia fecit, sed etiam apud barbaros summa religione omnia simulacra arasque consecravit. Arcades porro, ne minime quidem antea Graecarum rerum participes, quum Spartanis debilitatis, Messeniis reviviscentibus, ceterum omnibus Peloponnesi rebus dissolutis, per Thebanos, qui his quoque sociis ad Peloponnesi principatum sibi firmandum contra Spartanos abuterentur, aliquam certe auctoritatem ac potentiam essent assecuti, anno trecentesimo sexagesimo quarto a. Ch. n. in Elidem excursionem fecerunt, sanctissimum apud universos Graecos Olympiae sacrae terrae templum exspoliaverunt itaque primum toto exercitu exspoliati fani exemplum ediderunt. [74]) Quod scelus Mantinei et deinde alii quoque Arcades adeo exsecrati sunt, ut primum per decretum prohiberent, nequis pecunia sacra uteretur, deinde a foedere communi re-

---

[72]) Plut. Lys. XXIV—VII. Diod. Sicul. XIV. 13.

[73]) Xenoph. hist. Graec. VII. §. 27.

[74]) Xenoph. hist. Graec. VII. 4. §. 33.

cederent. Attamen, quum nobiscum reputaverimus, quam et ii, qui rebus publicis praeerant, et fere omnes homines avaritiae ac luxuriae essent dediti, quantis et quot contentionibus ac factionibus civitates inter se vexarentur, quales denique copiae conductitiae bella gererent [75], hac aetate per illos fere quinquaginta annos (tantum fere temporis interiacet inter bellum peloponnesiacum et tertium sacrum) non maiorem eorum exemplorum, quae religionem seu supplicum caedibus seu sacrilegiis violatam ostendant, esse copiam, sane nos mirari esset necesse, nisi haec plurima oblivione obruta nos ob rerum inscitiam effugere recte opinari possemus. Quantum vero iam hac aetate religionis nervi essent elisi atque, quam corrupta ac fracta illa iam iaceret, tertio sacro bello satis cognitum est. Thebani enim, non ut Apollinis Pythii religionem defenderent et vindicarent, sed hoc tantum cousilio, ut inimicis deprimendis suam augerent potentiam et principatum totius Graeciae sibi confirmarent, Phocenses et Spartanos ad gravissimas poenas damnaverunt. Quae fuit multorum ac magnorum scelerum et malorum seges. Namque Apollinis Delphici augustissimum templum, cuius sacrae res fere innumerabiles et longe praestantissimae erant, a Philomelo primo Phocensium duce occupatum, ab Onomacho eius fratere maximam partem et a tertio fratre et Phocensiam duce Phayllo totum est exspoliatum. Decem per annos hoc bellum maxime impium est gestum, ex sacris pecuniis, vasis, coronis, statuis ceterisque templi donariis milites conductitii alebantur et viri, quibus in Graecis civitatibus magna erat auctoritas, neque minus eorum uxores largiter donabantur atque corrumpebantur, quin etiam meretrices sanctis regum vel civitatum donis, imprimis coronis ornatae conspiciebantur. Ut Metapontini id perferre ac pati coacti sunt, citharistriam quandam apud eos, diem festum celebrantes, in publicum prodire, eo Apollinis Delphici donario ornatam, quod haec civitas huic deo olim consecraverat atque dono dederat. Nec Phocensium quisque ex illis sacris rebus, quae maxime arriderent, vel per vim,

---

[75]) Schlosser l. cit. 218 et seq.

vel furtim sibi auferebat, sed etiam ex aliis civitatibus multi viri, nobili loco nati et rebus gestis iam insignes huic scelesto bello inerant. Etiam Athenienses et Spartani non tantum publice Phocenses adiuvabant, sed etiam aliquantulo plus, quam pro copiis auxiliaribus missis fas erat, sacrarum pecuniarum acceperunt itaque huius omnium maxime scelesti sacrilegii participes sunt facti [76]. Ceteras crudelitates, quae hoc in bello factae sunt, ut silentio transigam, quanta vero in deos impietas et morum pravitas eorum, qui tale quid facere auderent, iam esset, et quantum impietatis incrementum quantaque morum depravatio inde in Graecos redundaret necesse erat? Tum Philippus, Macedonum rex a Thebanis, quum Phocensibus eorum sociis debellandis se impares esse cognovissent, arcessitur, id quod iam dudum cupiebat, et Apollinis violati ultorem se professus Phocensium urbes diruit, gentem ipsam Apollini Delphico stipendiariam fecit vel adeo ad internecionem delevit. Quo facto in eorum locum ipse inter Amphictyones receptus haud ita multo post Amphissaeos, qui Phocensium interitu haud deterriti iterum sacris Apollinis Delphici thesauris erant potiti, haud minore, quam Phocenses, poena affecit. Nec mirum igitur esse potest, Pythiam Philippi consilium totius Graeciae principatum obtinendi adiuvisse [77]. Nec minus Alexander Apollinem Delphicum in antiquam religionem ac auctoritatem restituere conatus est ceterosque deos coluit. Attamen Alexandrum, quum nullam rem religione magis in hominum animos valere probe intellexisset, suo ipsius commodo magis, quam deorum eorumque templorum causa hoc fecisse, fieri non potest, quin arbitremur. Nam quo facilius Graecos sibi subiiceret et suo imperio obedientes retineret, Persis bellum inferre, quod iam Philippus pater eius in animo habuerat, statuit. Quo propensiores vero ad hoc bellum gerendum eos redderet, nihil antiquius habebat, quam ut iis persuaderet, nihil sibi esse

---

76) Diod. Sicul. XVI. 23 — 65. Paus. III. 10. cf. Schlosser l. cit. 211 et seq. 249.

77) Ἡ Πυθία φιλιππίζει.

maiori curae, quam ut praeter urbes deletas fana praecipue a Persis violata atque exspoliata vindicaret. Quum ideo hoc quoque bellum contra Persas sacrum esse vellet, Pythiam, ut Philippus in Graecos, ita ipse in Persas habere adiutricem voluit itaque profecto, ut sibi bellum contra Persas demandaret, vi coegit, deinde, quum iam in Asiam minorem transiisset Branchidarum urbem evertit omnisque generis homines interfecit [78]), quod eorum proavi, Xerxe bellum Graeciae illaturo, fanum suum deseruissent; templum vero Ephesium usque ad stadium dilatavit. Itaque Persarum iniurias, quibus Graecorum deos affecissent, ulturus, ipse omnibus deorum templis sacrisque rebus abstinuit, quin etiam irae suae, quamvis ardenti, quum Thebarum urbem funditus everteret et incolas in servitutem abduceret, ita temperavit, ut omnem curam, ne templa violarentur neve pollnerentur, impenderet; atque adeo, si verum est, quod Diodorus Siculus litteris mandavit, esse inventum hoc post eius mortem in commentariis scriptum, consilium ceperat, ut sex magnifica templa Graecorum diis, ut Apollini Pythio, aedificarentur. Hac Philippi et Alexandri arte atque deorum cura hoc certe evenit, ut ab illo tertio bello sacro usque ad Alexandri mortem Graecorum templa minus violarentur, sed et hominibus et rebus sacris ibidem maior, quam antea esset tutela. Ne hanc quidem laudem Antipatro attribuere possumus. Qui quum a Cratero adiutus pugna ad Cranonem Athenienses, qui hoc in bello Lamiaco magis exardescerent, quam perdurarent, penitus devicisset, continuo simulatque Athenas urbem accessit, Archiam qui Demosthenem eiusque amicos, iam ab Atheniensibus, Demade auctore, capitis damnatos et illius saevitiae obiectos, quocunque fugissent, caperet, cum militum caterva misit. Archias tum Hyperidem oratorem, Aristonicum Marathonium et Demetrium Demetrii Phalerei fratrem, summos viros, ex Aiacis templo, quo supplices confugerant, vi abstraxit et misit ad Antipatrum, qui de omnibus supplicium sumpsit. Demosthenes vero, ille vir nostra admiratione maxime dignus, quem in Neptuni templum,

---

78) Plutarch. de ser. num. vindict.

quod erat in Calauria, se recepisse iam supra memoravimus, contra Archiam huc quoque cum Thracum caterva appulsum per templi augustissimi sanctitatem non fore se tutum quum vidisset, ipse se veneno interemit [79]. Verum tamen ut Graeci vera religione ac pietate iterum imbuerentur, per illam agendi rationem quam secutus est Alexander nihilo magis fieri potuit, quam ut priorem patriae amorem et virtutem sinceram reciperent. Nonnunquam utique, ut bello Lamiaco, hanc iterum reviviscentem videmus; ut autem non tam ex vero libertatis studio, quam ex ira ac subito furore exorta est, ita perdurare ac labores ferre non valuit. Huius enim aetatis indolem ac naturam nihil planius atque accuratius repraesentat, quam Epicuri inde profecta philosophia. Nam Epicurus, qui summa et omnia in voluptate nec vero in illa iuvenum immodica et luxuriosa, sed senum potius sobria ac prudenti posuit et id ipsum, quod suae aetatis homines maxime appetentes videbat, deorum naturae attribuit, hos enim non modo nullam hominum habere curam, sed omnino nihil curare atque nihil agere, Epicurus igitur non quidquam aliud docuit, quam quod hominum illius aetatis sensui ac votis conveniret atque ab omni parte plane congrueret. Hac enim aetate Graeci divino illo studio atque animo, qui mortales excitet, ut nobile atque magnanimum quid faciant, non erant imbuti, nec deos colere curae iis erat, sed quiete et beate vivere omnibus summum bonum esse videbatur. Ex hac aetate Euhemerus quoque Messenius prodiit, qui haud sine magno assensu deorum historias contexuit, in quibus, quos homines colere solerent deos antiquitus et homines et mortales nec alios, nisi antiquos reges vel viros fortes fuisse demonstravit [80]. Itaque haud iniuria in ea aetate, quae post Alexandrum secuta est, Graeci nobis nihil dissimiles esse videntur senum praematurorum, quorum animi aeque ac corpora aliquid magnanimi ac laboriosi suscipere recusent et quibus non aliud, quam vita frui quieta atque beata desiderio

---

79) Polyb. IX. c. 23. Plut. Demosth.

80) Plut. de Iside et Osiride. Cicero de nat deorum I. c. 41. Augustin. de civit. dei I. c. 7. Lactant. I. c. 11.

ac voluptati sit. Et e Graecis ii ipsi, et singuli viri et populi, qui posteriore aetate nondum omni animorum ardore exuti aliquid conati sunt, pietate in deos et vero patriae amore, paucis viris exceptis, caruerant. Cuius rei Agathocles, Pyrrhus et Aetoli satis sunt documento. Agathocles enim, optimatium factionem sibi infensam plane exstincturus, quum improviso armata cum plebe et irritatis cum militibus eos invasisset et totam Syracusarum urbem saevitia ac caede impleret, sine ulla deorum ratione qui ad deorum aras refugium petierant trucidavit nec ulli supplici pepercit [81]). Etenim Pyrrhus, Epirotarum rex, quum anno ducentesimo septuagesimo sexto a. Ch. n. e Sicilia rediens et haud sine magna clade Carthaginiensium manibus elapsus Locros Epizephyrios praeterveheretur, ut iniurias praesidio suo acerbo illatas in eos ulcisceretur opesque debilitatas repararet, non in Locrenses solos crudeliter rapinis et caede saeviit, sed ipsius Proserpinae thesauros ad hunc diem intactos spoliavit [82]). Aetoli vero gens omni Graecorum aetate morum feritate nota et politioris quidem humanitatis, qua ceteri Graeci excelluerunt, haud particeps neque vero morum depravationis expers facta, pacem, quum Antigonum Macedoniae regem mortuum non amplius extimescerent atque adeo Philippum, qui ei in regno sucesserat, iuvenem contemnerent, non diutius perferre potuerunt, sed, ut suo more terram Peloponnesiam diriperent, Achaeis bellum intulerunt. Priusquam Achaeos, gentem ipsam validam et praeterquam cum multis et potentibus sociis, Epirotis, Phocensibus, Macedonibus, Boeotiis, Arcadibus et Thessalis coniunctam invaderent, Messenios sine ulla iusta belli nedum rapinarum causa petierunt eorumque terram saevissime depopulati sunt. Deinde Achaeos quoque, qui Messeniis laborantibus Arato duce auxilio venerant, proelio ad Caphyam quum devicissent, praedantes ex Sicyoniorum praecipue terra mediam per Peloponnesum et deinde per

---

81) Diod. Sicul. XIX. c. 7.

82) Liv. XXIX. 18. Cf. ibid. 8. Appian. III. postrem.

Isthmum nemine resistente domum iter fecerunt [83]. Aetolorum vero rapinae omnibus adeo usitatae ac notae erant, ut fere nulli Graecorum civitati nec Epirotis nec Philippo stuporem ac magnam iram iniicerent. Adeo igitur impudenter quum Aetoli, nec ullius divinae nec humanae legis ratione habita, ex aliorum terris praedas agere omniaque incendio delere consuessent, haud mirum est, eosdem, iterum in Peloponnesum incursione facta, ne deorum quidem templis et rebus sacris abstinuisse. Postquam enim hac in excursione Cynetham, Arcadiae oppidum occupatam exspoliaverunt, Dianae templum inter Cynethiam et Clitorin situm, ὃ ἄσυλον δὲ νεμόμισται παρὰ τοῖς Ἕλλησιν, aggressi deae greges atque armenta populari et alias res sacras, quae non iuerant ipsi aedi, rapere coeperunt. Quum vero Lusorum vicini oppidi incolae, ut maiores rapinas averterent, aliquot ex ipsa aede vasa iis tradidissent, Clitorin regressi sunt. Unde, ubi se huic oppido expugnando impares viderunt, Cynetham reversi omnia deae armenta et res sacras omnes expilarunt [84]. Quum iam Aetoli sine pugna domum rediissent, tandem Philippus exercitum Achaeis eorumque sociis auxilio adduxit. Quoniam vero non iam armis opus erat, omnes socios per nuntios Corinthum convocavit, ut, quid communi esset utilitati deliberarent et decernerent. Quo quum ab omnibus legati venissent, nulla erat civitas, quin plurium ac gravium rapinarum atque sacrilegiorum Aetolos accusaret, in his Boeotii, quod Minervae Itoniae templum, Achaei, quod, ut iam vidimus, Dianae templum expilassent [85]. Quas tam multas ac graves de Aetolorum rapinis quaerimonias omnes socii quum haberent, uno ore decretum est, ut iis bellum indiceretur et coniunctis viribus gereretur. Hoc erat belli socialis (Olymp. 140. 1. anno ducentesimo vicesimo primo a. Ch. n.) initium. Verum hoc bellum, quamquam tam acriter decretum erat et praeterea hoc commune decretum etiam

---

83) Polyb. IV. 13 — 15.
84) Polyb. IV. 18. 19.
85) Polyb. IV. c. 25.

cum singulis ita communicatum est, ut ex sua quisque terra confestim contra Aetolos bellum faceret, magna tamen cum cunctatione a plerisque, maxime vero ipso a Philippo, qui etiam tum Aetolos per litteras monuerat, ut se purgarent, susceptum est. Quin etiam Spartae, ubi iuvenes Aetolis, natu maiores Achaeis et Philippo favebant, legati, qui illud decretum Corinthi factum tradiderant, sine responso dimissi sunt. Gravi inde seditione exorta nec iuvenes, quum etiam legatum, qui populo foedus cum Aetolis ineundum suaderet, ab iis expostulassent et accepissent, nec natu maiores quidquam inexpertum omiserunt ut ad foedus hi cum Achaeis, illi cum Aetolis populum traducerent. Attamen, quamvis Machates ab Aetolis iuvenibus auxilio missus, vehementer in Achaeos et Macedones invectus esset, tandem natu maioribus de magnis beneficiis ab Antigono et Macedonibus acceptis, haud minus de rapinis et iniuriis, quas ab Aetolis perpessi essent, mentione facta contigit, ut populus foedus cum Achaeis et Philippo sciceret. Sed quid tum evenit? Paucis enim diebus post, quum iuvenes armati ex more maiorum solemnem pompam in Minervae templum ad anniversarium sacrificium perigendum duxissent et ephori, quorum erat id sacrificium facere, ibidem remansissent, aliquot horum iuvenum, qui praesentem rerum statum admodum aegre ferrent, dum ephoros sacrificio perigendo intentos vident, improviso eos aggressi pecudum instar ante deae altare et mensam trucidarunt, quamquam, ut Polybius ait, huius templi Minervae *χαλκιοίκου* sanctitas tanta fuit, ut omnibus supplicibus, etiam iis, qui iam capitis damnati essent, satis tutelae praestare soleret [86]. Spartanis igitur et Eleis quoque Aetolorum partes sequentibus et ceteris sociis cunctantibus, ita ut Achaei soli hostis impetum ferre cogerentur, Aetoli in Peloponneso brevi tempore superiores sunt facti. Tum demum Philippus per Thessalos in Epirotarum fines profectus eorum copiis sibi adiunctis Ambracum, locum munitissimum, quia Epirotae id maxime expetebant, obsidere coepit. Hac obsidione dum Philippus tempus et operam con-

---

86) Polyb. IV. c. 35.

sumit, Scopas, Aetolorum dux, per Thessalos profectus in Macedoniam incursionem facit et quum magnam huius terrae partem depopulatus esset in Dium urbem iam ab incolis derelictum conversus, ut ceteras crudelitates praetermittam, templi, quod hic loci erat, porticus incendio delevit omnenque ornatum splendidum, qui ibidem sepositus ad solemnia adhiberi solebat, dilaceravit. Inter Aetolos tamen nemo erat, qui Scopam, quamvis non solum in homines, sed etiam in deos saeviisset, hominem sceleratum haberet. Quibus de Aetolorum rapinis et crudelitatibus in deos hominesque Philippus certior factus, simulac Ambracum expugnavit, in Aetolorum fines incursione facta eos pro iniuriis in Macedonia factis graviter ultus est, donec in Macedoniam, quam Dardani invasuri dicebantur, reverti et illuc auxilium ferre coactus est. Tum Aetoli, Dorimacho duce, in Epirum invaserunt et quippe qui tum non tam praedas agendi, quam Epirotas iniuriis afficiendi cupidi essent, maiore saevitia, quam ulla antea unquam in alia terra, igne ferroque vicos urbesque deleverunt. Hac in excursione Dorimachus, quum ad sanctissimum templum Dodonaeum accessisset, porticus, sacrarium ipsum et multas res sacras pretiosisimas igne corrupit. Reliqua scelera, quae Aetoli bello sociali in deos fecerunt, si licet praetermittere, haud ita multo post Philippum Macedonesque similia scelera perpetrantes videbimus. Qui, haud immemores, quae Aetoli prius Dii et Dodonae fecissent, quum Thermum, Aetolorum oppidum, divitiarum plenum, occupatum diriperent, simul templi, quod erat hoc in oppido, porticus, omnes res sacras, partim maximis sumptibus, partim magna arte factas aedemque sacram incendio delerunt et id quidem non tantum fecerunt, sed etiam ipsa fundamenta eiecerunt [87]. Neque minus Philippum postea, dum Graecas civitates suo imperio subiicere tentat et Athenienses praecipue petit, templis pepercisse sed potius procul ab omni religione in Deorum fana saeviisse ex illa oratione, qua Athenienses bello a Philippo pressi in concilio Aetolorum, quod Panaetolium vocabatur, ut Romanorum

---

[87]) Polyb. V. c. XI. Cf. IX. 24.

opem assequerentur, in Philippi et Macedonum crudelitatem ac saevitiam invecti sunt, satis, quamvis illi exacerbati et Romanorum opem implorantes rem supra veritatem auxerint, intelligi potest [88]. Philippo superato quum Romani in Graecos dominati sint, quanta religione hi Graecorum templa habuerint, hoc loco licet non sit alienum proponere; tamen, ut hac de re oratione continua diputemus, quanta religione aut impietate exteri reges, ut Antiochus, Mithridates eorumve duces et deinde praedones maritimi Graecorum templa habuerint, prius exponere mihi satius esse videtur. Haud minus enim, quam ab Aetolis et Macedonibus, ab Antiocho Syriae rege templis parcitum est, quum fere decem annis post ab Aetolis tum in Romanos iratis impulsus in Graeciam transiisset [89]. Quum deinde Mithridates, rex Ponti, ut in Asia, quam armis victricibus iam Romanis

---

[88]) Neque id se queri, quod hostilia ab hoste passi forent: esse enim quaedam belli iura, quae ut facere, ita pati sit fas. Sata exuri, dirui tecta, praedas hominum pecorumque agi misera magis, quam indigna patienti esse. Verum enimvero id se queri, quod is, qui Romanos alienigenas et barbaros vocet, adeo omnía simul divina humanaque iura polluerit, ut priore populatione cum internis Diis, secunda cum superis bellum nefarium gesserit: omnia sepulcra monumentaque diruta esse in finibus suis, omnium nudatos manes, nullius ossa terra tegi: delubra sibi fuisse, quae quondam pagatim habitantes in parvis illis castellis vicisque consecrata ne in unam urbem quidem contributi maiores sui deserta reliquerint. Circa ea omnia templa Philippum infestos circumtulisse ignes: semiusta et truncata simulacra Deorum inter prostratos iacere postes templorum. Qualem terram Atticam fecerit, exornatam quondam opulentamque, talem eum, si liceat, Aetoliam Graeciamque omnem facturum. Urbis quoque suae similem deformitatem futuram fuisse, nisi Romani subvenissent. Eodem enim scelere urbem colentes deos praesidemque arcis Minervam petitam: eodem Eleusine Cereris templum, eodem Piraeei Iovem Minervamque; sed ab eorum non templis modo, sed etiam moenibus vi atque armis repulsum in ea delubra, quae sola religione tuta fuerint, saeviisse. Liv. XXXI. c. 30. Tum Romanus legatus: . . . Athenienses in Deos superos inferosque nefanda atque inhumana scelera eius referendo quid mihi aut cuiquam reliquerunt, quod obiicere ultra possim? Eadem Cianos, Abydenos, Aencos, Maronitas, Thasios, Parios, Samios, Larissenses, Messenios hinc ex Achaia existimate queri. ibid. 31.

[89]) Liv. XXXV. c. 51. Appian. de rebus Syriacis c. 22.

ereptam tenebat, eorum imperium penitus exstirparet, satrapis suis et urbium praefectis, ut tricesimo abhinc die omnes Romanos, qui apud eos versarentur, eorum mulieres ac liberos omneque genus Italicum trucidandum curarent, edixisset; et ex hoc crudelissimo edicto uno die omnes homines, quicunque Romanae vel Italicae stirpis in Asia minore versabantur, ut Plutarchum [90]) auctorem sequamur, octogies mille homines interficerentur [91]), nec quidquam refugii nisi in deorum templis iis esset relictum: Ephesii eos Italos, qui in Dianae fanum confugerant, dum Deae simulacrum amplectuntur, vi abstractos trucidarunt; Pergameni eos, qui in Aesculapii templo supplices consederant, occiderunt; Caunii, natione Cari, eos, qui in prytaneo ad focum supplices sedebant, abstractos, postquam in virorum et mulierum aspectu liberos trucidarunt, ipsos interfecerunt; Tralliani denique, qui ipsi caedem perpetrare in aninum inducere non possent, Theophilum Paphlagonem, virum feritate infamem, ad hoc facinus perficiendum conduxerunt, qui tanta quoque saevitia rem perfecit, ut manus ipsas simulacra tenentes abscideret [92]). Licet aliquot eorum, quae diximus, templa in Graecorum templa referri non possint, tamen Graecorum nullum templum, ne sanctissimum quidem, hoc bello tutum atque inviolabile fuisse, satis est testimonio Delos, cuius summa sanctitas, de qua iam ante mentionem fecimus, adhuc nondum erat violata et etiam tum, quum bellum cum Perseo, Macedonum rege, a Romanis gerebatur, omnes tam inviolatos praestiterat, ut, si ipsis Livii verbis uti liceat, permixti Romani, Macedones et Eumenis navales socii, inducias religione loci praebente, versarentur [93]). Quam ipsam ob sanctitatem Delos mercaturas facientibus maxime placebat; unde Corintho deleto tam frequens ac dives emporium erat, ut quotidie decies mille servi ibi venumdarentur et infinitae divitiae

---

90) Vit. Sullae 22.

91) Cicero pro leg. Manil. c. 3.

92) Appian. de bello Mithridat. c. 24. 25.

93) Liv. XLIV. c. 29.

ibi depositae essent [94]. Quibus ipsis captus Menophanes, Mithridatis copiarum dux [95], Delum classe invasit et quum eam haud moenibus munitam, neque ab incolis ob loci religionem tutis itaque inermibus defensam facile occupasset, tum peregrinos, qui ob mercaturas faciendas ibi forte versabantur, tum incolas occidit; quo facto negotiatorum divitias ac pecunias rapuit, omnia donaria [96] compilavit, coniuges liberosque sub corona vendidit et denique ipsam urbem solo aequavit [97]. Paulo post praedonibus maritimis illa tum cum Mithridate coniunctione tum bellis et civili et servili aliisque tum temporis rebus dissolutis paulatim tantae accreverant vires, ut iam nullus locus nec maris nec terrae continentis ab his tutus esset. Quin etiam fere mille naves, quorum nonnullae puppibus inauratis, et quadraginta urbes in eorum erant postestate. Etiam viri magnis divitiis, vel nobili loco nati vel summo ingenio praediti his praedonibus se adiunxerant. Quibus rebus factum est, ut praedonum imperium plus Romanorum valeret. Hi praedones deorum praecipue templa, partim nonnunquam, sed raro tantum violata, omnium locorum ideo tum temporis ditissima exspoliaverunt. Quae Plutarchus [98] a praedonibus expilata memoriae tradidit sunt haec: Apollinis Didymaei templum, quod Clari nobili Ioniae urbe iuxta Colophonem erat, Samothracia, illa sanctissima insula, Cereris templum, quod erat Hermione, Aesculapii in Epidauro fanum, Neptuni templa et in Isthmo et in Taenaro et in Calauria, Apollinis templa et in Actio et Leucade Iunonisque fana et in Samo et Argis et Laciniae.

Iam postremo disputatio nostra eo pervenit, ut, Romani quanta religione initio, quum Graeciam et Asiam minorem sibi subiiciebant, Graecorum

---

94) Cicero pro leg. Manil. §. 55.

95) *ἀνθρώπῳ γὰρ ἀφορῶντι ἐς κέρδος τὰ θεῖα ὕστερα λημμάτων.* Paus.

96) Sacram pecuniam et sacra vasa enim iam prius Archelaus Athenas transmiserat Appian. de bello Mithridatico. c. 28.

97) Paus. Lacon. III. c. 23.

98) Vit. Pompei.

templa sancta habuerint, quanta vero postea impietate ea violaverint, exponamus. Antiquis Romanis, quum ex agris colendis, quae vita omnium maxime hominum et corpora exercet et animos fortes ac continentes esse, deorum numina colere ac vereri docet, summa frugalitate, fide, patriae amore et religione ac pietate in deos imbuti essent, profecto deos res humanas omnes regere ac moderari iisque suae urbis, rei publicae atque imperii salutem et incrementum praecipuae esse curae erat persuasum. Quae religio a Numa, rege sapientissimo, per sacerdotia, sacrificia, sanctas caerimonias institutas totamque per eius sacram constitutionem, ut ita dicam, adeo aucta, hominum animis infixa et constituta est, ut haec per multas deinceps aetates Romanorum indoles ac natura, fere dixerim, religiosa perduraverit [99]). Ne disseram, quantam vim haec ad augendam rem Romanam excercuerit [100]), hoc inter omnes constat, Romanis antiquis nullum populum nec religiosius res sacras curasse deosque coluisse nec magis omnia religioni postponenda esse duxisse nec denique magis de omnibus rebus seu publicis seu privatis deos consuluisse. Quanta enim fuit augurum auctoritas! Quae Romanorum religio, cui Polybius et ei quidem suae aetatis summam attribuit laudem, effecit, ut initio tum, quum Romani Graecorum rebus sese immiscebant eosque suam in potestatem redigebant, Graecorum templa summa haberent religione nec ullo scelere polluerent. Quum enim bello punico secundo Scipionis, dum belli in

---

99) Fusius hanc rem exponere quum a consilio meo alienum mihi esse videatur, nos auctores nominare liceat: Liv. 1. 19. 22. III. 7. 17. v. 14 — 17. 50 — 53. Ciceronem de legibus II. c. 7 — 17. de republica II. 14. Val. Max. I. c. I. Polyb. VI. 56. cuius verba haec sunt:

Μεγίστην δέ μοι δοκεῖ διαφορὰν ἔχειν τὸ Ῥωμαίων πολίτευμα πρὸς τὸ βέλτιον ἐν τῇ περὶ θεῶν διαλήψει. Καί μοι δοκεῖ τὸ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις ὀνειδιζόμενον, τοῦτο συνέχειν τὰ Ῥωμαίων πράγματα, λέγω δὲ τὴν δεισιδαιμονίαν· ἐπὶ τοσοῦτον γὰρ ἐκτετραγώδηται καὶ παρεισῆκται τοῦτο τὸ μέρος παρ᾽ αὐτοῖς εἴς τε τοὺς κατ᾽ ἰδίαν βίους καὶ τὰ κοινὰ τῆς πόλεως, ὥστε μὴ καταλιπεῖν ὑπερβολήν.

100) Cicero de Haruspic. respons. c. 9. Liv. V. 51.

Africam transferendi apparatu in Sicilia occupatus est, legatus Plemius militesque nihil crudele et acerbum in Locrenses omisissent et ne sacris quidem thesauris, usque ad Pyrrhi tempora intactis, abstinuissent; senatus Romanus, ad quem Locrensium legati hac de re graves detulerant querelas, vehementem exarduit in iram et omnem pecuniam sacram conquiri et reponi sacrumque tum piaculare fieri iussit. Plemius vero et cum eo seditionis principes in catenas conjecti tristi morte occubuerunt [101]). Eadem permoti religione Romani fana ab Annibale et Punis deleta vel devastata restituerunt [102]). Deinde paulo ante bellum cum Perseo Macedonum rege initum Fulvius Flaccus, inquit Val. Max. [103]), impune non tulit, quod in censura tegulas marmoreas ex Iunonis Laciniae templo in aedem Fortunae Equestris, quam Romae faciebat, transtulit. Negatur enim post hoc factum mente constitisse: quin etiam per summam aegritudinem animi exspiravit, quum ex duobus filiis in Illyria militantibus alterum decessisse, alterum graviter audiisset affectum. Cuius casu motus senatus tegulas illico reportandas curavit. Eadem, qua senatus, in deos pietate Titus Flaminius, qui Philippum regem ad Scotussam devicit, Manius Glabrio, qui Antiochum Graecia expulit et Aemilius Paulus, qui Perseum ad Pydnam superavit, summi Romanorum imperatores, excelluerunt, quos Graecorum templis non tantum pepercisse, sed etiam honores habuisse donaque dedisse certo Plutarchi [104]) testimonio confirmatur. Si vero horum virorum religionem cum Aetolorum, Philippi et Antiochi impietate ac saevis templorum depopulationibus comparaveris, eo maior iis laus attribuenda esse videtur. At iisdem fere temporibus labes omnium virtutum nec minus religionis initium cepit. Nam simulatque ex Graecia, vel maxime ex Asia, suis libidinibus magis, quam Romanorum armis expugnatis, cum exercitibus victricibus

---

101) Liv. c. 21. Cf. 19. Appian c. 55. Val. Max. I. c. I. §. 12.

102) Horat. Carm. IV. 4. 15.

103) L. c. §. 20.

104) Vit. Syllae.

divitiae immensae, vitae mollitia ac luxuria ad Romanos redundare coeperunt nec ulla gens iis iam resistere potuit: magis magisque antiqua Romanorum frugalitas, continentia ac fortitudo per voluptates et avaritiam corrupta atque enervata, patriae amor, principalis antea omnium virtutum, magnitudinis gloriaeque fons, ex humilioribus ingeniis et per voluptatum cupidinem seu luxuriam et avaritiam, ex nobilioribus vero per imperandi cupidinem seu ambitionem est expulsus et religio denique ita consenuit, ut summum eius solemnes caerimoniae quasi ad multitudinem intemperantem coercendam a viris sapientibus optime institutae retinerentur [105]). Quoniam igitur abhinc religio libidinibus non amplius resistere valebat, a Romanorum avaritia Graecorum quoque templa et eorum res sacrae ultra non erant tuta, sed sine ulla Deorum ratione Graecorum quoque templa sanctissima quaeque, quia eadem erant ditissima, a Romanis exspoliabantur. Sulla enim, quum, Asiam et Graeciam a Mithridate ereptas ut recuperaret, Asia provincia et bellum Mithridaticum ei esset datum, dum totam anni octogesimi septimi a. Ch. aestatem in Athenarum urbe et portu Piraeei expugnandis consumit, nec lignis in lucis sacris nec, ut sibi Italiae et Romae opibus excluso pecunias ad bellum gerendum necessarias compararet, Epidauris, Olympiae et Delphorum sacris thesauris abstinuit. Et rapinis adiecit cavillationem. Nam Apollinis Delphii sacerdotibus quum per nuntium Caphin Phocensem ac litteras sibi res sacras, quoniam apud se tutiores essent, mittere iussi res Apollini sacras in hominis alicuius tutelam ac potestatem tradi nefas esse, aliquot quoque sacerdotes Apollinem ex adyto audiisse citharizantem atque denegantem respondissent, hoc dedit responsum, se valde mirari, quod et ipsi et Caphis illos Apollinis sonos tam male interpretarentur; Apollinem enim minime aegre ferre, sed gaudium percipere atque prae gaudio citharizari, quod thesauros sibi committere iussus esset [106]). Quam in summos Graecorum deos impietatem Sulla

---

105) Optime hanc Romanorum depravationem Sallust. Cat. §. 10 — 14 explicuit.
106) Plut. Sylla 22. Paus. de bello Mithrid.

paulo post eo expiare voluit, quod Apollini et Iovi dimidiam agri Thebani partem, his, quos acri persequebatur odio, ereptam, cuius ex reditu pecunias raptas illi reciperent, dono dedit. Post Sullam nobiles Romani Graecorum signa et tabulas ad insaniam concupiscere coeperunt. Itaque evenit, ut etiam augustissima Graecorum templa spoliarentur. Quam insaniam atque impietatem prae omnibus nobis Verres ille infamis praedo ante oculos posuit. Qui quum Cn. Dolabellae legatus, seu potius omnium scelerum non tantum socius, sed princeps esset, Athenis ex Minervae aede grande auri pondus abstulit; deinde, postquam Delum venit, e fano Apollinis religiosissimo signa pulcherrima clam sustulit et in navem onerariam coniicienda curavit; in Asiam vero ubi transgressus est, Chii, Erythris et Halicarnassi signa pulcherrima, Tenedi autem praeter multam pecuniam Tenem ipsum, qui apud Tenedios sanctissimus habebatur deus, magno cum civitatis gemitu abstulit, tum Iunonis Samiae fanum antiquissimum exspoliavit atque et inde tabulas et signa plurima, quae postea Romae domi ipsius ad columnas omnes etiam in omnibus intercolumniis, in sylva denique disposita videri poterant, rapuit, Aspendi, nobili Pamphyliae oppido, signorum optimorum plenissimo, nullum reliquit, sed omnia ex fanis et locis publicis palam, omnibus spectantibus, plostris evexit, Pergae fanum antiquissimum et sanctissimum Dianae adeo exspoliavit, ut ipsi deae, quod habebat auri, detraxerit. Ita Verres per paccata sociorum et amicorum populi Romani oppida fana religiosissima sine ullo humanitatis sensu, nedum religionis, diripuit atque exspoliavit [107]. Huius improbae avaritiae, qua impeditum est, quominus a Romanorum avaris manibus ullum Graecorum templum vel signum vel res sacra tuta atque intacta esset, iterum Licinius Crassus admodum detestanda edidit testimonia [108]. Verumtamen non solos Verrem et Crassum hac avaritia captos deorum fana expilasse, sed totam gentem Romanam ab antiqua maiorum religione degenerasse

---

107) Cicero in Verrem act. sec. c. 17—23.

108) Plut. vit. Crassi.

nec ullis templis vel rebus sacris abstinuisse, quis est, quin plane persuasum habeat, quum Sallustius [109]), Cicero [110]) et Horatius [111]) adsint testes locupletissimi.

---

109) „Ibi primum insuevit exercitus populi Romani amare, potari, signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari, ea privatim ac publice rapere, delubra spoliare, sacra profanaque omnia polluere. Igitur hi milites, postquam victoriam adepti sunt, nihil reliqui victis fecere.“ Sallust. §. 11. Profecto vero hic locus est dignus, qui totus legatur.

110) „Itaque propter hanc avaritiam imperatorum quantas calamitates, quocunque ventum sit, nostri exercitus ferant, quis ignorat? Itinera, quae hosce annos in Italia per agros atque oppida civium Romanorum nostri imperatores fecerunt, recordamini; tum facilius statuetis, quid apud exteras nationes fieri existimetis. Utrum plures arbitramini per hosce annos militum vestrorum armis hostium urbes, an hibernis sociorum civitates esse deletas . . . . Difficile est dictu, Quirites, quanto in odio simus apud exteras nationes propter eorum, quos ad eas per hos annos cum imperio misimus, iniurias ac libidines. Quod enim fanum putatis in illis terris nostris magistratibus religiosum, quam civitatem sanctam, quam domum satis clausam atque munitam fuisse? Pro sociis vos contra hostes exercitum mittere putatis, an hostium simulatione contra socios atque amicos? quae civitas est in Asia (de qua provincia danda haec ipsa oratio habebatur), quae non modo imperatoris aut legati, sed unius tribuni militum animos ac spiritus capere possit. Quare, etiamsi quem habetis, qui collatis signis exercitus regios superare posse videatur, tamen, nisi erit idem, qui se a pecuniis sociorum, qui ab ornamentis fanorum atque oppidorum . . oculos, animum cohibere possit, non erit idoneus, qui ad hoc bellum Asiaticum regium mittatur. Pro leg. Manil. §. 38. §. 65.

111) „Quid nos dura refugimus
Aetas? quid intactum nefasti
Liquimus? unde manum iuventus
Metu Deorum continuit? quibus
pepercit aris?“ Carm. I. 35.

„Damnosa quid non imminuit dies?
Aetas parentum peior avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.“ Carm. III. 6. Conf. Val. Max. lib. I. c. I. de neglecta religione 17. Dio Cass. lib. 51. c. 8. Cicero in Verrem II. lib. I. c. 33. §. 85.

§. IIII.

Quae adhuc de deorum templis sanctis habitis seu violatis atque exspoliatis retulimus si respicere velimus, illo longo temporis spatio, quod permensi sumus, quo magis religio ex hominum animis evanuerit et pravae libidines in eius locum recesserint, eo saepius et gravius templorum quoque sanctitatem neglectam ac pollutam esse constat, nec ab ipsis Graecis vel maxime inde a bello peloponnesiaco et in his minime ab Aetolis, rapinis et templorum depopulationibus male notis, nec a Philippo tertio, Macedonum rege, neque ab Antiocho, neque a Mithridate, nec a praedonibus maritimis, neque ab Romanis, postquam etiam his, primis aetatibus religiosissimis, avaritia, luxuria et ambitio totam religionem atque in deos pietatem eripuit, Graecorum templa tuta atque inviolata sed contra supplices abstractos et res sacras per homines avaros sine ullo pudore ac religione spoliatas vidimus. Et ea imprimis templa, quae pecuniis, vasis, signis, statuis, ut breviter dicam, divitiis abundabant, vel per latos agros et prata frumentorum et gregum magnam habebant copiam, petebantur et spoliabantur. Itaque hominum avaritia effecit, ut templa non tam supplicibus violatis, quam sacris rebus ablatis polluerentur. Quoniam igitur religio sola per se nec supplices ab hominum ira, nec sacras res ab hominum avaritia tutas praestare valebat, factum est, ut ii, qui illud iam tristi experientia edocti, sui tamen templi sanctitatem ac tutelam retinere cuperent, hanc per regum vel civitatum decreta, si haec violata esset, restituendam vel constituendam vel etiam amplificando firmandam curarent. Quae res, certe quod Asiae minoris fana, quorum permulta Graecorum fanis adnumeranda sunt, attinet, satis multis documentis ultra omnem dubitationem est posita, quae Asiae minoris civitates, quum Tiberio regnante Senatus Romanus asylorum iura examinaret, haud omiserunt proponere. Tum temporis enim, si veniam mihi ipsis Taciti[112]) verbis utendi dederis, Mag-

---

112) Annal. III. 60 — 63.

netes L. Scipionis et L. Sullae constitutis nitebantur, quorum ille Antiocho, hic Mithridate pulsis fidem ac virtutem suam decoravissent, ut Dianae Leucophrynae perfugium inviolabile foret. Hierocaesarienses Perpernae Isaurici multaque alia imperatorum nomina memoraverunt, qui non modo templo, sed duobus millibus passuum eandem sanctitatem tribuissent. Dianae, quae colebatur Ephesi, omnium Asiae longe sanctissimum asylum ab Alexandro magno, cuius rei iam mentio est facta, usque ad stadium, deinde a Mithridate tantum ultra stadium, quantum spatii sagitta emissa pervolaret, denique ab Antonio tantum, ut etiam urbis partem amplecteretur, dilatatum itaque amplificando constitutum est. (Hanc tamen partem, quum urbs Ephesiorum sceleratis hominibus nimium impleretur, Augustus rursus ademit, non vero totum ademit asylum, quod censuit Carholmus. [113]) Nam apud Strabonem τοῦτο legitur et Tiberio regnante Ephesii suum asyli ius demonstrare non tentassent, nisi ius asyli retinuissent; id quod nummi quoque apud Spanhemium [114]) docent.) Quod tamen Ephesii in illa causa apud senatum nec illorum regum nec Antonii mentionem fecerunt, sed antiqua templi sanctitate demonstrata hoc tantum: „Post Macedones, deinde Romanos (hanc templi sanctitatem) servavisse" adiecerunt, non est, quod miremur. Nam Mithridatis et Antonii, quorum utriusque etiam nomen ardebat invidia, beneficia afferre his nec honori nec utilitati esse poterat. Eadem de causa, nisi fallor, Smyrnaei, non Seleuci Callinici decretum, sed potius oraculum Apollinis, cuius imperio Stratonidi Veneri templum dicassent, retulerunt. [115]) Aphrodisienses posthac et Stratonicenses dictatoris Caesaris ob vetusta in partes merita et recens divi Augusti decretum attulerunt, quod Parthorum irruptionem nihil mutata in populum Romanum constantia pertulissent. Cratenses Augusti decretum protulerunt Qua de causa recte Tacitus ita dixit: „Magna eius diei species fuit, quo

---

113) l. c. 36.
114) l. c. 780.
115) Tacit. l. c.

Senatus maiorum beneficia, sociorum pacta, regum etiam, qui ante vim Romanam valuerant, decreta introspexit." Attamen idem Tacitus id quoque addidit: „ipsorum numinum religiones introspexit," et prius iam dixerat: „multis vetustis superstitionibus fidebant." Multi profecto nihil aliud, nisi antiquas religiones proferre potuerunt. [116]) Livium antea de Delo insula: „sanctitas templi insulaeque sola inviolatos omnes praestabat" dixisse in memoriam revocaverim. Nonne Plutarchus quoque, ubi plurima Graeciae templa sanctissima, quae praedones maritimi diripuissent, ut antea comperimus, enumerat, haec fana Asyla et prius inaccessa (*ἄσυλα καὶ ἄβατα ἱερά*) nominavit, nec vero decreta, quibus hoc asyli ius iis concessum esset, attulit, nec aliunde quoque haec nota sunt? De paucis praeterea tantum fanis, quantum equidem scio, de nullo ipsius Graeciae fano, haec vel regum civitatum decreta exstare seu nota esse concedamus necesse est. Quibus ergo argumentis eo adducimur, ut omnibus sacris locis seu lucis seu templis arisque hoc ius divinum et res sacras et supplices tutos praestandi iam ipsam et solam per loci religionem, etiam regum vel civitatum decretis non confirmatam, ut antea, ita his quoque ultimis reipublicae Romanae temporibus infuisse et permansisse, multas vero civitates, quominus illud ius violaretur, insuper hoc per reges et civitates potentes agnoscendum quoque et comprobandum curasse existimemus. Quam ob rem Servii [117]) verba: „asyla non sunt in omnibus templis, nisi in iis, quibus lege consecrationis est concessum," si quidem, ut plerumque fit, recte intelligantur, ita, ut hoc asyli ius non omnibus templis fuerit, sed non nisi iis, quibus per legem seu decretum regis vel civitatis alicuius fuerit concessum, ne in haec quidem tempora ab Alexandro magno usque ad Tiberium regnantem cadere satis perspicuum est. At quamvis haec Servii et eorum, qui eum secuti sint, opinio reiecta sit, tamen per aliquot rerum scriptorum verba, ut Livii: [118]) „ubi in fano lucoque Apollinis Delio ea

---

116) Tacit. IV. 14.

117) ad Aeneid. Virg. II. v. 761.

118) lib. XXXV. c. 51.

religione et eo iure, quo sunt templa, quae asyla Graeci appellant," vel Polybii: [119]) „*καὶ παραγενόμενοι πρὸς τὸ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερὸν, ὃ κεῖται μὲν μεταξὺ Κλείτορος καὶ Κυναίθης, ἄσυλον δὲ νενόμισται παρὰ τοῖς Ἕλλησιν, ἀνετείνοντο* (Aetoli) *διαρπάσειν τὰ θρέμματα τῆς Θεοῦ καὶ τἄλλα τὰ περὶ τὸν ναόν*" vehementer sustentari atque comprobari videtur. Verumtamen cur Polybius hoc templum asylum esse habitum potissimum dixerit, ex eo, quod Aetoli deae armenta rapere et ipsum templum expilare aggrediebantur, satis liquet. Nec Livium suae aetatis morem, quo templa summa sanctitate a Graecis vulgo asyla nominabantur, secutum, ullum aliud hisce verbis: „quae Graeci asyla appellant" significare voluisse, nisi hoc Apollinis templum summa inter Graecos religione habitum fuisse, nec vero id, quod inde sequi videtur, non nisi certis templis hoc ius asyli fuisse, demonstrasse, quis est, quin intelligat, praesertim quum illud idem templum ab ipsis Graecorum scriptoribus ut prioribus aetatibus, quod intelleximus, ita etiam posteriore aetate ab Appiano [120]) *ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος χωρίον* nominatum viderit. Ergo, si totam meam sententiam iterum ipsis verbis proponere liceat, quamvis iam ex loci religione ac sanctitate omnibus templis inesset ius asyli, tamen illis temporibus, quoniam deorum templa hac ipsa de causa, quia omnium locorum ditissima erant, maxime petebantur atque exspoliabantur, nec religio sola hominum avaritiam coercere et a sacris templorum thesauris retinere valebat, eae civitates vel urbes, quarum templa iam erant spoliata vel a depopulatione satis tuta non esse videbantur, hanc sanctitatem et nominatim hanc *ἀσυλίαν*, ut ita dicam, per regum vel civitatum decreta restituendam vel comprobandam curarunt et operam navarunt, ut in his decretis *ἀσυλία* ipsis verbis nominaretur. Etenim in omnibus eiusmodi et decretis et nummis verbo: *ἱερὸς* verbum *ἄσυλος* adiunctum invenimus. [121]) Etiam esse urbes vel civitates, quae sola templi sanctitate niti sive vel volebant sive poterant, eo maiorem, quo sae-

---

[119]) IV. c. 18.

[120]) in Syriacis.

[121]) Spanh. l. cit.

7 *

pius templum non tam supplicibus violatis, quam rebus sacris ablatis violabatur, curam ad hanc ἀσυλίαν potissimum tuendam impendere coacaet sunt. Unde evenit, ut haec templorum ἀσυλία, etsi una tantum totius sanctitatis templorum pars, magis magisque praecipue spectaretur et mox haec sola in ore et sermone hominum esset, itaque hoc asyli ius per συνεκδοχὴν totam templi sanctitatem, etiam ius supplices tuendi vulgo significaret atque comprehenderet, atque sanctissima quaeque Graecorum templa nominarentur asyla. Annon Tacitus asyla statuendi licentiam atque impunitatem per Graecas urbes crevisse dicit? Verum tamen nunquam locus quisquam asyli ius sibi vindicare potuit, quin hunc eundem locum diis consecratum, sanctum igitur ac religiosum esse antea agnitum ac comprobatum esset. Nam sanctitas ἀσυλίας et origo et causa, quod iam Spanhemius recte monuit, semper fuit. Quod esse verum, cuique omnino persuadeatur necesse est, si legerit decreta, quae Teii in ipso Asiae medullio, ut ait Chishullius, habitantes a Philippo, Macedonum rege, ab Antiocho, Syriae reges ab Aetolis et denique Romanis aliisque populis impetrarunt. Aetolorum decretum, anno centesimo octagesimo septimo a. Ch. n. datum, hoc est: Ὑπάρχειν δὲ αὐτοῖς παρὰ τῶν Αἰτωλῶν τᾶς τε πόλιος καὶ τᾶς χώρας τὰν ἀνιέρωσιν καὶ ἀσυλίαν. Romanorum decretum centesimo nonagesimo tertio anno a. Ch. n. datum hoc est: Urbem vestram et regionem sacram, ut nunc est, decernimus habendam inspoliatam et ratione populi Romani tributo immunem. Cetera decreta fere iisdem verbis concepta legas quaeso apud Chishull. [122]).

§. IV.

Nec vero haec hominum auctoritas deorum templa in antiquam et ab omni iniuria tutam sanctitatem restituere valuit. Nam religio ex hominum animis per pravas cupiditates quum esset exstirpata, qua ulla alia in ancora ultra hoc institutum satis firma consistere poterat? Annon in sem-

---

122) Antiquit. Asiata 102—38.

per deteriorem statum hoc relabi necesse erat, quoniam urbes vel civitates non religione, sed nonnisi commodis seu privatis seu publicis ductae illam curam ac laborem sui templi *ἀσυλίᾳ*, ut ita dicam, retinendae vel comprobandae vel amplificandae impendebant? Quaenam erant haec commoda? Primum, si forte templi sanctitas itaque asyli quoque ius totam insulam, ut Delum et Samothraciam, vel magnam urbis ipsius partem, ut Ephesiorum, vel adeo totam urbem et regionem, ut Teiorum comprehendebat, ii, qui fines sacratos inhabitarent, non solum tutiorem vitam degebant, sed etiam tributo, ut Teii, ab Romanis immunes erant.[123]. Et hi non solum, sed etiam finitimi, quantos fructus ex sacrificiis et solemnibus ludis, qui quotannis his in locis sacris instituebantur, percipere solebant.[124]. Huc accedebat, ut haec loca sacra seu asyla ad mercaturam faciendam omnium maxime adirentur et plerumque hominum frequentia completa essent. Quis Deli, illius frequentissimi emporii, non recordatur? Denique inter eos, qui supplices his in sacratis finibus commorabantur, haud dubie multi erant, qui magnam pecuniam secum portarent. Ita religione quum homines abuterentur, evenit, ut Tiberio regnante Graecas per urbes licentia atque impunitas asyla statuendi cresceret. Etiam aliunde asylorum depravatio semper maior est facta. Prioribus enim aetatibus in pauca tantum templa, ut in Phliusiorum templum[125] et Minervae *χαλκιοίκου*[126], hic pravus mos etiam capitis damnatos vel caedis haud iustae convictos recipiendi irrepserat. Et uni Dianae templo Ephesio debitoribus contra creditores tutelam dedisse opprobrio datur.[127] Huius vero aetatis homines, non nisi suis commodis ducti, nequaquam pensitabant, utrum hominem purum nec ullo piaculo pollutum, an scelestum atque impium reciperent. Nam, ut Tacitus ait, Tiberio regnante templa pessimis servitiorum complebantur,

---

123) Cf. Spanh. l. cit. p. 783 de liberis urbibus.

124) Thucyd III. 104. Xenoph. Expedit. Cyr. v. 3. §. 8.

125) Paus. II. c. 13.

126) Polyb. IV. 86.

127) Plut. de evitandis usuris p. 293.

* *

eodem subsidio obaerati adversum creditores suspectique capitalium criminum receptabantur. Nec ullum satis validum imperium erat coercendis seditionibus populi, flagitia hominum, ut caerimonias Deum, protegentis. Hanc igitur in aetatem eiusque asyla illud crimen, cuius Osiandrum aliosque viros doctos Graecorum templa sine ulla diversarum aetatum ratione accusavisse cognovimus, revera cadit, tametsi illorum accusatio, etiam huius aetatis ratione habita, nimis acerbis verbis uti atque modum excedere videtur. Illo vero asylorum abusu factum est, ut Graecae civitates suorum asylorum iura demonstrare iussae sint. Postquam singulorum asylorum iura senatus Romanus examinavit, senatusconsulta facta sunt, quibus multo cum honore modus tamen praescriptus est civitatesque in ipsis templis aereas tabulas ad memoriam senatusconsulti eo die facti sacrandam figere iussae sunt, ne specie religionis in ambitionem delaberentur. Licentia igitur asyla statuendi et hic pravus abusus specie religionis sceleratum quemque hominem recipiendi per senatum Romanum sunt coercita. Nec vero omnia templa asyli iure privata, vel iis ipsis templis, quibus hoc ius seu per antiquam religionem seu per regum vel civitatum decreta legitime constitutum deberetur, hoc esse ereptum, Suetonio [128]), quamvis aperte ac definite Tiberium et vim et morem asylorum abolevisse dicat, tamen fidem habere possumus, quum plerisque templis etiam postea hoc asyli ius fuisse constet. [129]) Attamen id veri, homines asylis abuti desiisse nec postea tanto studio, quanto antea, asyla obtinendi arsisse, Suetonii verbis inesse videtur.

---

[128]) vit. Tib. c. 37.

[129]) Tacit. IV. c. 14. Ezech. Spanh. l. c. p. 779. 81.

MONASTERII, TYPIS COPPENRATHIANIS.

Addenda et corrigenda.

P. 11. l. 16. l. Athenaeum s. Ἀθηνᾶς.
- 13. l. 2. l. quas.
- 16. l. 13. l. Ἀθηνᾶς Aleae.
- 18. l. 13. transf. non solum ante illis locis et l. 20 post sed adde: etiam.
- 19. l. 2. l. ἥτις.
- 23. l. 14. l. Delphicus. It. p. 24. l. 2. p. 45. l. 20.
- 27. — adde: Stollius de comoediae graecae generibus p. 38 sq.
- 28. l. 4. post magno adde: id.
- 39. l. 21. post consecrarentur exciderunt: eas ut praedam iure belli captam vendidit, postquam . . .
- 31. l. 3. l. etsi. l. 14 ante quaereretur excidit: et.
- 32. l. 28. post nec excidit: solum.
- 34. l. 9. l. iniurias.
- 42. l. 16. post templa adde: partim huc intacta.
- 45. l. 19. l. Epidauri.
- 46. l. 15. l. atque inde et.
- 48. l. 25. post quae adde: documenta.
- 50. l. 4. l. multi.
- 51. l. 27. l. eae. l. 28 del. vel.
- 52. l. 2. l. coactae.
- 53. l. 9. p. post Romanis virgulam et del. post Teii.

Cetera menda, quum levioris sint momenti, vel emendari facile possint, neque admodum sententiarum sensum turbent, v. g. reges p. 52. l. 15. Thucydides p. 27. l. 19. aninum p. 41. l. 13. et eiusdem generis alia, legentium benevolentiae relinquenda putavi.